



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Pars II. de altera perfectionis parte, scilicet de charitae Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Dami. sc.  
orat. de  
dormis.  
Virginis.

Heb. 13.

Genes. 47.

Iob. 21.

Greg. 15  
mor. 1. 35.

Amb. in  
psal. 118  
ser. 4. ver.  
2.

Aug. ser.  
15. de  
verbis  
Apost. 2.  
15.

vespere non cessare, in senectute virtutum actiones præstare; quas si perfectissimi; & sanctissimi viri, quamdiu viuunt, exercere debent, constat, quia numquam ad eam perfectionis mensuram perueniunt, quin ad aliam maiorem, & præstantiorem peruenire queant. Vnde sapienter dixit Damascenus. Morte sanctos omnino perfici, sanctosque ostendi; quæ id ipsis affert, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat. ] Vsq̄ ad mortem ergo possunt in melius mutari, & maiorem virtutem, puriorem vitam, & sublimiorem charitatis perfectionem conquirere. Quod & nomen ipsis ab Spiritu sancto in diuinis literis datum, id perspicue indicat, in quibus passim vocantur viatores. Paulus ait. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. ] Et sanctus Iacob, hominis vitam nomine peregrinationis vocat. Dies (inquit) peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, pauci, & mali. Nec non patiens Iob. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis seruat malus. ] Viatores hoc loco iusti dicuntur. Nam (vt Gregorius ait) Viator est, qui præsentem vitam viam esse sibi, & non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Atque in eandem sententiam Ambrosius, omnes homines, tam peccatores, quam iustos, viam aliquam ambulare existimat. Qui facit (inquit) voluntates carnis, & viuit secundum concupiscentiam mundi huius, vias suas ambulat, quibus delectatur, & gaudet. Qui autem venit voluntatem facere Patris sui, qui in cælis est, cui cibus est, vt mandatum Dei compleat, qui non querit, quod voluptatis sit, sed quod placeat Deo; ille viam Domini pergit. ] His concinit Augustinus. dicens: Videtis, quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breuiter dico; proficere, ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis. ] Quare, rogo, omnes iusti quantalibet sanctitatem acquisierint, viatores vocantur, nisi quia dum viuunt, possunt magis proficere, altius ascendere, proprius Deo per vitæ puritatem appropinquare?

A Semper ergo quamcumque perfectionem habeant possunt eam nouis augmentis cumulare, & ditiores, ac pulchriorem efficere.

Verum est secundum dispositionem diuinam, esse aliquam maximam perfectionem, ad quam natura humana, vel Angelica potuit ascendere: & quantum poterit superare. Hæc autem est, quæ Deipara Virgo omnibus sanctissima vitæ suæ operibus est assequuta. Quæ enim mater est Dei, & hominū, atque Angelorum Domina, & præ cæteris, nõ tamquam ancilla, aut amica, sed tamquam sponsa, & tãquam mater à Deo dilecta, & cuius opera penè infinitis partibus omnium sanctorum Angelorū & hominum opera præcellerūt, & cuius gloria tamquã matris, & sponsæ omnium seruatorum gloria, quasi infinitè, superat, certissimum est, quia quolibet sanctum, etiam supremum Seraphim, mirum in modum perfectione antecedit, & valde credibile, quod omnibus sanctis, simul acceptis, maior sanctitatis gloria, & perfectior existit. Quare sapienter, & sine vlla exaggeratione Chrysostomus ait. Magnum re vera miraculum fuit semper Beata Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius, vilo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cælum, ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, nõ Throni, nõ Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest. ] At istam maximam perfectionem nos mente nos capimus, imò nec cælestes spiritus, licet eam videant, plene cognoscunt. Ad quam certi sumus, quia nullus sanctus, quantumuis currat, accedet, nec à longè salubabit: quoniã Beata Virgo est omnibus prædestinatis gratiæ viribus fortior, bonorum operum cursu velocior, & animositate ad expugnandam cælestem sedem, audacior. Si ergo nec minimam, nec maximam charitatem, quæ perfectio sit nouimus, an aliquo modo charitatis perfectionem explicare possimus, in sequentibus videamus.

Chryf.



## PARS SECVNDA

### DE ALTERA PERFECTIONIS PARTE, SCILICET DE CHARITATE DEI.



VERAM Dei, & proximi charitatem affirmatiuis perfectionem esse, nunc, quæ charitas erga Deum, & quæ charitas erga proximum sit perfectio à prima illa incipiendo, videamus. Quoniam charitas erga Deum, (vt postea dicitur) amoris erga proximum origo est, & eam nobilitate superat, quare necesse est, vt in serie tractationis huius, primum locum obtineat. Hanc verò primum in seipsa, deinde ex quibusdam similitudinibus, postea ex affectibus quos in sanctis animabus ostendit, ac tandem ex verbis, & præcepto Dei, quo istam perfectionis partem mandauit, explicare tentabimus. Magni enim momenti est perfectionem agnoscere, ne quis eam magnis laboribus querens, & in notitia errans: pro vera perfectione non veram, aut pro fine medium, & instrumentum exquirat.

Que

Quæ charitas nomen & naturam perfectionis obineat.

## CAPVT XI.



**N**TER minimam charitatem minimi viri perfecti, qui in numero omnium perfectorum reperitur, & maximam charitatem purissimæ creaturæ nimirum Beatæ Mariæ Virginis (nam de Christo Salvatore nostro nihil atinet dicere, cuius sanctitas est infinita, quæque non purus homo, sed Deus, & homo est) immensa quædam latitudo charitatis interiaret, quæ nunc à nobis vocatur spiritualis vitæ perfectio. Huius munus, atque officium est, quemlibet iustum, & Dei amicum, quem sibi subiecerit, ad diuinum amorè impellere, & efficaciter gubernare, atque mouere, vt diligentissimè peccata, & imperfectiones vitæ; vitutum actiones gnauiter præstet; Deo intellectu, & affectu cohereat; & iuxta statum, & locam, quæ in Ecclesia occupat, perfectè viuat; & ei diuinò auxilio suffultus, tum desiderio, tum opere operam Deo, & hominibus satisficiat. Hoc inquam officium prestat perfectæ charitas, aut spiritualis perfectio, non sola, sed actualibus gratiæ Dei auxiliis suffulta, quæ nobis non negantur, si ea velimus accipere, & iis ad actiones optimas adiuuari. Ambrosius profectò virum perfectum ita describit, vt aperte indicet in hoc modo charitatis, quæ diximus, sitam esse huius vitæ perfectione. Hæc enim vita iusti (inquit) qui etiã, quas habeat facultates, communes, æstimare debeat, imò etiam inopibus diuidere, dispensare pauperibus, recidere volutates proprias, tenuare sumptum, adhibere parsimoniã temperantiam, sobrietatem tenere in prosperis, patientiã in aduersis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuã vota nescire, mortis imminenti terrore non concuti, neque cum præstantiorem putare, cui secundum naturam liberi, propinqui, salubritas, læticia, affluentia redudauerint, quam cum illa defuerint: neque externis sæculi, sed virtutis domesticæ merito pensare. Illam quoque formã iusti esse, quis abnuat, vt nihil metuat, nihil reformidet, nisi virtutis dispendia, aliorumque vanas formidines comprimat, quas habeant, aut de periculo-tum sollicitudine, mortis timore, corporis infirmitate, vt doceat dissolui corpore, & esse cum Christo multò melius, vt ostendat, quia operationes non impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neque splendore generis, aut propinquorum subsidiis, aut opibus, sed bono commendantur affectu. Ex quibus illud certè colligimus, charitatem illã, quæ hominem omninò rectificet, sensus moderetur, affectus componat, potentias ordinet, vires dirigat, & in prosperis, & aduersis sui, & omnium rerum mundanarum contemptorè faciat, & Dei solius, aut eorum quæ ad Deum referuntur, desideria succendat, beatam eum in hac vita, id est, perfectum efficere.

Hanc charitatem, qui in aliquo gradu possederit, perfectus est, & qui in minori gradu, minus, qui vero in maiori gradu, erit magis perfectus. Nec erit difficile istam rem aliquo exemplo manifestare. Sicut enim in caelis est aliqua minima lux, ea scilicet, quia minima stella respicitur, quæ licet minima aliis astris comparata, est tamen longè maior omnibus luminibus corruptioni subiectis, quæ noster ignis accedit, & est etiã aliqua maxima lux, nempe lux solis, quæ omnium stellarum lucem, splendorem, & pulchritudine mirum in modum antecellit, inter has autè duas lucēs, minimam, & maximam, est penè infinita quæ-

**A**dam lucis latitudo, quæ tantum ad nobilissima illa corpora pertineat, & tota illa vocatur, & est lux superior, atque cælestis, cuius stella particeps lucida est, & minus particeps, minus lucida, magis verò particeps, magis pulchra est, ac splendida: Ita in omni numero sanctorum, & perfectorum, quos Deus ad perfectionem euehit, & nos tamquã quosdam cælos suspicimus, est aliqua minima charitas, illa scilicet, quæ habet, aut habebit minima stella, minimus videlicet omnium perfectorum, quæ quidem charitas maior, & præstantior est omni charitate communium iustorum; qui numquã seipsos plenè vincunt, nec ad perfectionem ascendunt, & est aliqua maxima charitas, nempe Deiparæ Virginis, quam Bernardus cum sole meritò cõfert. His autem duabus charitatibus, minimæ, & maximæ, quasi immensitas quædam, aut mare quoddam interminabile charitatis interiaret, quod ad perfectos tantum spectat, & nomẽ, ac naturam perfectionis habet. O bonum mare, o quietum pelagus, o securum, non aqua, sed amoris profunditas! quam qui ingreditur, & perseueranter enauigat, in æternæ vitæ portu appullus, non iam communem iustorum sortem, sed immensam felicitatis diuitias possidebit securus. In hoc mari, o Domine, via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, quia in multis, & variis charitatis affectibus ad nos venis, & vestigia tua, id est, mirabilia tua, quæ in secreto mentium operaris, ab his, qui in hoc mare non descendunt, nequaquam experimento cognoscuntur. Tu confirmasti, & consolidasti in virtute tua hoc mare, vt habens maris immensitatem, & magnitudinem, procellarum & tempestatum pericula non timeret; & contribulasti capita draconum, id est, peccatorum in aquis, quorum istæ aquæ tam profundæ, non solum vitam, & reatum subruunt, sed etiam nec vestigia derelinquunt. Descendamus, o Deus creator meus, aliquando in hoc mare, faciamus operationem in aquis multis, vt videamus opera tua, & mirabilia tua in profundo cordis nostri, non sine stupore, & admiratione cognoscamus. Quæ mirabilia illi profectò non experiuntur qui fluminum, id est, communis amoris possessione contenti, numquam hæc mari magno seipsos committunt.

**D**Hanc latitudinem charitatis, quam perfectionem nuncupamus, omnes perfecti, non vno modo participant, & hinc oritur perfectionum sanctitatumque diuersitas. Quidam enim minus charitatis accipiunt, intra illam tamen mensuram contenti; alij verò plus charitatis assequuntur, vnde illi in minori gradu sancti sunt, & hi in maiori gradu, ac dignitate perfecti. Et sicut accedunt ad mare, gratia hauriendæ aquæ isti minus hauriunt, quia minorem amphoram deferunt; illi magis accipiunt, quia maius vas, & capacius aduehant, ita perfectorum quidam ex perfectionis mari minorem gradum, alij maiorem charitatis assequuntur, pro diuersitate acceptæ gratiæ, & pro maiori aut minori mensura feruoris. Quod his verbis docuit Cassianus. Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona, proponi, quia nec omnibus vna virtus, aut volutatis, aut feruor est, & idcirco ipsarum quoddammodo perfectionum diuersos ordines, diuersaque mensuras, sermo diuinus instituit. Quod & late, & sapienter sacrarum scripturarum auctoritate confirmat. Nec erit valde laboriosum hoc intelligere. Nam si ad gloriam & splendorem temporalis reipublicæ necessarium est, vt eius ciues non sint æquales, sed eos, aut maior nobilitas, aut copiosiores diuitiæ aut celsior status, dignitasque distinguat; & inter ipsos nobiles, atque magnates esse debet ad optimam reipublicæ statum non omnimoda æqualitas, sed

opum

Ambr.  
lib. 1. de  
Iacob. &  
vita bea-  
ta. 8.

Philipp. 1.

Bernar.

Psalm. 76.

Cassian. col.  
11. 12.

opum splendoris que diuersitas: Quare non erit necessarium caelesti reipublicae, & regno Christi, vt ad maiorem sui ornatum, & amplitudinem praedestinatorum inaequalitate habeat amoris, & pacis vinculo colligatam, & in ipsis sanctis, atque perfectis diuersitatem maioris, & minoris puritatis agnoscat: In domo Patris mei (dicit Dominus) mansiones multae sunt. Non tantum plures numero, sed etiam variae, & inaequales pro merito, & dignitate virtutis. Mansiones plures sunt in regno Patris, vt pusillus, & minus perfectus ob defectum mansionum, repulsam non timeat, & variae sunt, vt perfectus, & sanctus de promissione Dei, & acceptione condigni praemij non diffidat. Multas mansiones, ait in domo Patris esse (inquit Cyrillus) capacitatem caeli ostendens: Quae tanta est, vt nulla egeat ad suscipiendos electos praeparatione. Haec multitudo mansionum, differentiam quoque gloriae significat: omnes enim vitae suae congruentem honorem suscipient. ] Atque in eandem sententiam Augustinus. A perturbatione (Apostoli) recreantur certi ac fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros. Quia, & si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo Patris mei mansiones multae sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansione pro suo quisque accepturus est merito. ] Sedium ergo caelestium varietas, meritum & graduum charitatis varietate arguit, cum certum sit Deum electos suos non immoderatis affectibus ductum, quibus non subest, sed puriori amore, & melioribus electorum operibus incitatum, eos ad maiorem, vel minorem gloriam sublimasse. Vnusquisque naque referet propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. ] Et Dominus reddet vnicuique secundum opera sua. ] Consequens itaque est, vt qui diuersa recipiunt meritum praemia, diuersa quoque merita habeant, & diuersam mensuram charitatis, cuius praecipue est meritis valorem tribuere, & cumulatiorem mercedem exigere.

Ioann. 14.

Cyril. lib. 9. in Ios. c. 31.

August. tract. 67. in Ioan.

1. Cor. 5.

Rom. 2.

1. Cor. 15

Bern. in serm. i. in c. i. dicit.

Hier. lib. 1. contra Pelag. c. 6.

Alia claritas solis (inquit Paulus) & alia claritas lunae, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic erit resurrectio mortuorum. ] Quod si iusti resurgentes claritate, & gloria differunt, & tamquam stellae inaequali pollent decore, ac pulchritudine: certe ante resurrectionem corpora mortalia gestabant inaequali etiam charitate pollebant. Gratia quippe & charitas gloriae semina sunt, vt iuxta virtutem seminis, aut minima gloriae arbor, aut maior, aut proceras consurgat. An non, cum semen oleris terrae committis, paruus olus gignitur, & cum taleam cedri feris, cedrus magna producit? Ita si parum habueris charitatis, modicam gloriam colliges; & si multum acquisieris charitatis magnam gloriam, & felicitatem consequeris. Praeclare enim dixit Bernardus, sanctissimam Patriarcham Benedictum laudans: Omnino valde potens est in caelis, qui tam magnus, & potens extitit in terris, secundum magnitudinem gratiae, magnitudine gloriae exaltatus. Nam & iuxta radicem quantitatem rami prodire noscuntur, & quot radicibus arbor innititur, tot ramis (sicut aiunt) decoratur. ] Bene igitur ex praemiorum diseritate, quae perfectis dantur, colligimus, diuersas, & inaequales esse perfectorum sanctitates, atque iustitias, nec omnes eandem charitatem habere; sed quosdam eorum minoris, & humaniorem (vt ita dicam) alios vero maiorem, & Angelicam charitati propinquiore participare. De hac perfectionis inaequalitate Hieronymus sic loquitur. Ego enim hoc sentio nullam creaturam, secun-

dum veram consummatamque iustitiam, (cui scilicet nihil possit accedere) posse esse perfectam; Ceterum alium differre ab alio, & diuersas esse in hominibus iustitias, nulli dubium est, & vel maiorem esse alium, vel minorem, & tamen secundum statum, & mensuram suam posse iustos nominari, qui aliorum comparatione iusti non sunt. Verbi gratia, Paulus Apostolus vas electionis, qui plus omnibus Apostolis laborauit, vtique iustus erat scribens ad Timotheum: Certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. ] Iustus erat, & Timotheus discipulus eius, & imitatur, quem docet, quid agere debeat, & quem modum tenere virtutum. Putamus vnam, & eandem in vtroque fuisse iustitiam, & non plus habere meritum eum, qui plus omnibus laborauit. ] Haec ille, & multa alia pulchre, & erudite. Et Theodoretus: Multos ac varios esse piorum ordines non ignoramus. Quod Dominus etiam docens, multae (inquit) mansiones sunt apud Patrem meum. ] Et in distributione talentorum, non quina singuli talenta acceperunt, sed vnus quinque, alter duo, tertius vnus pro sua quisque virtute. ] Addit idem, terram bonam non esse aequali mansura fructiferam, sed hanc fructum centesimum, hanc sexagesimum, & hanc trigesimalum ex semine sibi commendato, proferre. Sic perfecti, & sancti tamquam vasa inaequalia, omnia tamen facta in honorem, minus, aut magis capiunt charitatis.

2. ad Tim. 4.

Theodor. in cat. c. 6.

Ex his autem duo habemus: Alterum quod intellectum erudiat; alterum vero, quod voluntatem infliget. Illud est, charitatem perfectam, aut quae ad naturam perfectionis accesserit, latam admodum esse, eamque sanctos, atque perfectos viros non in equali mensura, sed variis, ac diuersis gradibus obtinere. Hoc vero est debere nos magna contentione niti, ne pusilli simus, sed ad magnam perfectionem veniamus. Nobis enim volentibus magna gratia ad currendum, imò & ad volandum non deficiet, qua roborati, & imperfectiones fugiemus, & nos ipsos, ac veterem hominem vincemus, & non communem sanctitatem impetrabimus. Omnes quidem res non solum rationis expertes, sed etiam inanimae, suam perfectionem amant, eam praecipue appetunt, & in eam omnibus viribus, ab auctore naturae datis, impresseque nituntur. Lapis tanta velocitate ad ima descendens, quid nisi perfectionem quaerit, quam in centro communis omnium auctor collocauit? Ignis supernam regionem petens, & se à materia terrestri, veluti quibusdam conatibus liberans, quid nisi perfectionem inquirat, quam Deus in concauo lunae, siue in ignis sphaera constituit? Ventus, & exhalatio intra viscera terrae coclusa, & quasi in carcere compedita, terram tremefacientia, & vrbes, atque oppida vastantia, quid appetunt nisi proprium locum, in quo suam perfectionem positam habent? Animalia omnia, quae sibi nocua sunt fugiunt, quae ad alimentum, aut ad medicinam vtilia sunt, cupiunt; filios, natura duce, ac si pietatis esset compotes, maxima quadam diligentia nutriunt, & adhuc imbecillos in periculo protegunt, ab hostibusque custodiunt, non ob aliud, nisi vel vt suam perfectionem assequantur, vel consequuntur in seipsis, aut in sibi similibus filiis conferuent. Quid ergo faciet homo, vniuersis rebus corporis praelatus, rationis compos, non ad res temporales factus, sed ad aeternam beatitudinem, & ad Dei visionem, & possessionem productus, nisi suam perfectionem quaerere? & in illum finem, propter quem creatus est, tota mentis industria contendere? Si enim animantia rationis expertia in suam perfectionem tendant, homo vero ratione, & libero arbi-

trio

Psal. 48.

trio pollens, & gratia Dei fultus post res terrenas, & perturas habeat: iam, quia natura animantibus ceteris est superior, actibus, & curis, & conatibus, longè inuenitur inferior. Diciturque de illo, non tantum comparatus est iamētis (quod magna illi ignominia est) sed minor factus est iumentis insipientibus, & abieciōr, ac vilior factus est illis. Ne ergo, o religiose, in tantam miseriam, ac calamitatem delabaris, homini quidem seculari nimis fugiendam, sed tibi, qui ad Dei amplexus vocatus es, sine vlla comparatione magis infelicem, ac deplorandam, accinge, vt vir lumbos tuos, & omni conatu mentis & corporis pretiosam margaritam (perfectionem intelligo) cuius gratia ad religionem venisti, non in infimo quodam gradu, sed in sublimissima mansura conquire. Prophanas & seculares curas procul abice, & religiosis operibus, quæ media ad perfectionem sunt, te ipsum committe, & in hoc, ingenium occupa, talentum exerce, curam ac diligentiam constitue. Et vt verbis cuiusdam sapientissimi senis, quibus Climacum exhortatus est, te ipsum moneam, & à somno tepiditatis exsulcitem: si reuera sapientissimus cum sis, effectum, virtutemque verborum eius intelligis, qui dixit, Omnia possum in eo, qui me confortat. Si Christum tota animi intentione complexus es, si Spiritus sanctus castitatis rore, vt olim in virgine, ita superuenit in te, si virtus patientiæ obubravit tibi: accinge sicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo, & à quietis scena confurgens in spiritu contrito fratrum pedes laua, imo verò abiecta mente fratrum pedibus aduoluere. Statue in cordis tui ianna seruos ianitores, & vigiles. Tene insuperabilem, atque immobilem mentem in corpore huc, illucque distracto. Exerce in membris agilibus, ac mobilibus intellectualem quietem. Atque id, quod miracula excedit omnia, esto in medio tumultuum impavidus animo. Restringe in sanam linguam ne ad contradicendum facile delinuat. Pugna aduersus hanc rabidam dominam dies septuagies septies. Affige in animæ ligno (quam crucem dicimus) incudem, viderelicet mentem, vt per æternos malleorum ictus, & crepitus percussa ludibriis, & maledictis, inuisibilibusque lacessita, iniuriis affecta, infracta, & in nullo laesa, seu dissoluta perseuerans, tota lenis, & plana, immobilisque persistat. Exue te voluntatibus tuis, vt confusiois amictu, atque his nudus stadium pietatis ingredi. Indue, quod rarum, & difficile inueniri potest, ad certaminis magistrū immobilem, vel immobilem fidei loriam, quam nulla iam infidelitas dissoluere, & violare possit. Contine fræno prudentiæ tactum impudenter profluentem. Reptime perpetua meditatione mortis oculum, ne horis singulis magnitudines, ac pulchritudines corporum curiosus intueri velit. Refræna ingi tui ipsius curia curiosum animum, qui dum negligens est sui, fratrem semper condemnare vult, omnemque dilectionem & misericordiæ affectum ad proximum sincere semper ostende. In hoc enim, amantissime pater, verè cognoscet homines, quod Christi discipuli simus, si in vnum congregati, dilectionem habuerimus ad inuicem. His nõ segniter, neque oscitanter expletis, sed strenuè diligentèrque conclusis, in illam, Deo donante, ingrediæ latitudinem charitatis, cuius possessio hominem non iam pusillum, aut incipientem facit, non iam mediocrem, aut proficientem efficit, sed planè magnum perfectumque constituit. Intra bis planè illud immensum amoris mare, & nullis terminis clausum charitatis pelagus, cuius aquis feliciter obrutus, fortunatèque submersus, non tibi viuas, sed illi, de quo dictum est: Deus cha-

Climac. gradus. 4. de obed. Philip. 4.

I. Ioan. 13.

I. Ioan. 4.

**A**ritas est. A quo in cætu sanctorum & perfectiorum collocatus, eorum præmium, & mercedem recipies.

*Tribus similitudinibus exponitur, quæ charitas sit perfectio.*

## CAPVT XII.



**B**ED conemur hanc latitudinem charitatis, quam vita spiritalis perfectionem esse diximus, aliqua ratione explicare. Hactenus enim illud tantum manet perfectionem nõ esse aliquam charitatem indiuiduam, & veluti in puncto consistentem, quam omnes perfecti accipiant, sed magnam, & immensam latitudinem continere: nondum tamen exposuimus, quæ, aut quæta sit hæc charitatis latitudo, quæ nomen perfectionis obtineat. Hæc more philosophorum metiri, & ac si demetremur domum aliquam, vel palatiū terminis claudere, putamus impossibile; sed non erit admodum difficile eam, aut similitudinibus ex natura petitis, aut effectibus declarare. Et quidem prima illa ratio exponendi perfectionem per similitudines obscurior, secunda verò per effectus patentior & clarior, illam breuius, ista, quæ vtilissima est, latius persequemur. Hanc ergo charitatem perfectam, seu vitæ nostræ perfectionem, libet Ecclesiæ nobilitatem appellare, & primo loco cum alicuius reipublicæ temporalis nobilitate conferre. Sicut enim in republica præter communem, & promiscuam hominum multitudinem, est aliqua gēs nobilitatis appellatione dignata, quam omnes alij, tamquam potiorem veneramus, atque suspiciunt; ita in Ecclesia (relictis nunc peccatoribus, qui tamquam membra mortua parum valere noscuntur) præter communes iustos, quos vera in Deum charitas, & mandatorum custodia Ecclesiæ viua & pretiosa membra constituit; est aliud veluti hominum genus sanctitatis, & perfectionis nobilitatum nomine, quod aliis hominibus supereminet, tum mentis puritate, tum præstatiã, atque excellentia virtutis. Temporalis ergo nobilitas nos in aliqua notitiã sanctitatis ac perfectionis introducat. Est autè nobilitas, generis claritudo, quam magna opera in vsum reipublicæ facta pepererunt, & insignia facinora mortalibus vtilia compararunt. Cum enim omnes homines vnus Adam pater genuerit, & vna Eva mater effuderit, non potest illorum obscuritas, & istorum claritas, nisi in propria opera, aut in parentum, & aorum facinora reuocari, quæ in suos auctores dignitatem, & splendorem apud alios, & magnas opes, ac diuitias, nec non exemptiones ac priuilegia contulerunt. Atque in hac nobilitate reipublicæ, maxima est dignitatis, ac splendoris latitudo, quam nomina illi indita, manifestè significant. Sunt enim nobilium alij Equites, alij Comites, alij Marchiones, alij Duces, alij Magnates, alij Principes, alij Reges, alij Imperatores, qui tamquam Ecclesiæ antesignani, in quibusdam euentibus etiam regibus imperat, & leges ac iura magis generalia decernunt. Et in statibus his, est etiam non minima nobilitatis varietas; nõ inter Equites sunt alij aliis nobiliores, & inter Comites, aut Duces sunt alij aliis illustriores, & inter Principes, ac reges alij aliis potentiores, prout insignium operū series à parentibus

Z

in

in filios, & nepotes propagata tulit, aut maior diuitiarum, & subditorum copia concessit. Itaque omnibus istis hoc conuenit, ut nobiles sint, ut generis claritatem habeant, magnis operibus partam, & diuitiis, ac opibus cumulatam; sed differunt, quod quidam eorum minus illustres, quidam magis clari, & nobiles sunt, hi minorem, illi maiorem splendorem suis, aut progenitorum laboribus acceperunt, & consentiente republica sunt consequuti.

Hæc omnia ad sanctitatem, & perfectionem transferamus. Ecclesia enim florentissima Christi respublica, habet viles, & abiectos homines, quales sunt omnes peccatores, grauius criminibus infecti, quos Deus patienter sustinet, vel ut corrigantur, vel ut iustis famulentur, vel ut suis peccatis bonos exerceat. Vnde Augustinus optime. Ne putetis gratis malos esse in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus, aut ideo uiuit ut corrigatur, aut ideo uiuit ut per illum bonus exerceatur. Habet etiam communes ciues, bonos quidem & honoratos, cuiusmodi sunt communes iusti, qui Dei gratiam, & charitatem adepti, utcumque eius legibus parent, & mandatis obediunt. Isti sunt ciues sanctorum, & domestici Dei, quibus Deus tanquam seruis fidelibus magna dona tribuit, & si in bona vita perstiterint, æterna præmia, & ingentia bona in cælesti curia promittit. Habet tadem viros nobiles, & illustres quorum splendor, & decor non est à parentibus hereditate transmissus, sed proprio labore, & industria Dei gratia subnixæ, & magnis operibus conquisitus. Isti sunt sancti, & perfecti viri, quos Petrus præcipue vocat genus electum, regale sacerdotium gens sancta populus acquisitionis. Et Ioannes in sua reuelatione, ait: Quia fecit eos Deus regnum & sacerdotes, & regnabunt super terram. Horum nobilitas non alia profecto, quam charitas perfecta est. Illa scilicet, qua dedignantur patrem sibi appellare super terram, quia vnus est Pater eorum qui est in cælis. Illa beneficium creatoris infusa, sed magnis operibus à gratia profectis, & improbis laboribus aucta, quæ eos non tantum Dei seruos, sed amicos, & familiares, & simillimos faciat. Illa, quæ in ipsorum perfectorum animos, altas cogitationes, & ingentia desideria producat, & ad sublimia opera omnis virtutis impellat. Illa, quæ honores rideat, dignitates & delicias abiciat, & omnia mundana & terrena contempnat. Illa, quæ omnem immunditiam procul arceat, inordinatis affectibus eximat, & curis temporalibus tributa non soluat. Illa denique tam potens, quæ faciat nos mundo penitus commori, & Deo soli viuere, ac rebus cælestibus, cogitationibus, desiderijs, verbis, & operibus inhærere. huius autem spiritualis nobilitatis, ingens ac penè immensa est latitudo; ita ut nobilitatem temporalem, quasi in infinitum excellat: Nã si hanc à communibus nobilibus, vsque ad imperatoriam dignitatem certi gradus locique distinguunt, spiritualement multo plures dignioresque secernunt. Sunt enim in ea (ut à minoribus incipiamus,) Eremitæ, Virgines, Confessores, Doctores, Pontifices, Martyres, Apostoli, Prophetæ præter illorum graduum numerum qui Angelorum hierarchias, & veterem Ecclesiam distinxit. In quo à primo gradu vsque ad vltimum innumerabilis est infinitaque distantia. Si enim (ut Thomæ Aquinati, & multis Theologis placuit) omnes spiritus cælestes, specie & natura differunt, & iuxta gradum naturæ mensuram perfectionis habent; quis poterit huius nobilitatis amplitudinem eumerare? De qua Daniel Millia millium ministrabant ei, & decies millies cetera millia assistebant ei. Ad hanc nobilitatem ve-

Asp. iiii  
Psal. 54.

Ephes. 2.

1. Petr. 2.

Apo. 5.

Matt. 23.

D. Tho. 1.  
p. 50.  
ar.

Daniel.  
7. 11.

A) rissimam atque clarissimam vocant nos Deus, cum mentibus nostris desiderium perfectionis iniecit, atque aded magna, atque defenda est socordia nostra, qui ad tantum splendorem inuitati, ad tantam dignitatem impulsus, adhuc in cæno sumus, & vitiorum nostrorum sordibus adhærescimus. Si optioni tuæ datum esset, o religiose, quando secularæ vitam agebas, statum aliquem nobilissimum occupare, & ad illustrissimam familiam pertinere, in hunc sanè splendorem toto mentis conatu, & industria contenderes, sed tuæ voluntati Dei gratia suffulta, reliquum est nobilem esse regni cælorum, illustrissimum illius sanctæ reipublicæ locum tenere, splendidissima dignitate delectari. Quare ergo in luto iaces, vanis desideriis occuparis, ambitioni seruis, & inutilibus actibus distineris? Cur tibi ipsi non imperas, sæculum, quod fugisti, non deseris, virtutis studium non cupis, orationis donum non quaeris, ad charitatem perfectam non aspiras? An nobilitate sæculi inferior est ista nobilitas? An splendore fictitio minor est iste verus splendor? An dignitate mundana, amicissimorum Dei dignitas vilior est, aut abiectior? Sed illam appetere, istam autem fastidire, cecitas est deploranda, quam tu Domine à corde meo nimis obcæcato repelle, ut hanc verissimam nobilitatem, scilicet perfectionem, agnoscam, cognitam diligam, amatam cupiam, concupitam assequar, & assequutam in dies feruentissima diligentia promouere curem.

Hæc similitudo nobilitatis aliqua ratione perfectionis naturæ aperit, sed multo melius, atque apertius eam corporis nostri bona valetudo declarat: Quæ cum omnibus aliquo vitæ tempore communis sit, & non tam consideranda, quam ipso experimento cognoscatur, mirifice sanitatis, ac valetudinis animæ substantiam aperiet. Et quidè, licet corporalem sanitatem philosophi, & medici temperiem qualitatum aut ipsas qualitates temperatas esse definiant, nos autem paulò latius eam explicatas dicimus esse statum vitæ corporalis, functiones suas bene obeuntis, & strenuè præstatis. Itaque status est, quoniam non celerem calum, & facilem sine vlla occasione, mutationem, sed constantiam, & stabilitatem habet. Qui enim nunc bene habet, & statim sine vlla causa male habet, & nunc imbecillitate, nunc doloribus affligitur, non sanus corpore, sed infirmus reputatur. Est quoque status vitæ, quoniam bona valetudo sine vita non subsistit: Quis enim sibi persuadeat, eademer vita priuatum, tabidum, foetens, & in sepulchro iacens, aut aliquam sanitatem, aut incolumitatem possidere? Sed vita ad salubritatem non sufficit. Naamã enim Syrus viuus erat, qui loquebatur, gradiebatur, & medicum lepræ suæ magna diligentia quaeritabat, non tamen sanus, de quo Scriptura inquit: Erat vir fortis, & diues, sed leprosus. Et for-

D) cæcus Petri vitæ quidè habebat, sed incolumitate carebat, quæ molesta febris vexabat. Et paralyticus, non vita, sed salus defuit, cui Dominus non dixit. Ecce iam viuus factus es, sed, ecce sanus factus es, iã noli peccare. Est ergo ad sanitatem necessarium, ut ea, à quibus vita corporis pendet, optimam consultationem habeant, quibus homo probè suas actiones obeat, & expedite vitæ functiones exerceat. Vnde ista ad sanitatem requiruntur, ut scilicet quis membra integra habeat, humores temperatos, vires tam corporis, quam animæ ad agendum solutas, cibi, & potus debitis temporibus appetentiã, somnum quietum, & placidum, colorem viuidum, roboris indicem, & corporeæ temperationis nunciu fidelissimum. Tribus ergo constat corporalis sanitas, vita, humanarum actionum exercitatione optima, & nonnulla stabilitate, quæ modicis impedimentis non cedat, & homo ista habens sanitatem corporis habet, & verè dicitur sanus, & vegetus.

E) rissimam atque clarissimam vocant nos Deus, cum mentibus nostris desiderium perfectionis iniecit, atque aded magna, atque defenda est socordia nostra, qui ad tantum splendorem inuitati, ad tantam dignitatem impulsus, adhuc in cæno sumus, & vitiorum nostrorum sordibus adhærescimus. Si optioni tuæ datum esset, o religiose, quando secularæ vitam agebas, statum aliquem nobilissimum occupare, & ad illustrissimam familiam pertinere, in hunc sanè splendorem toto mentis conatu, & industria contenderes, sed tuæ voluntati Dei gratia suffulta, reliquum est nobilem esse regni cælorum, illustrissimum illius sanctæ reipublicæ locum tenere, splendidissima dignitate delectari. Quare ergo in luto iaces, vanis desideriis occuparis, ambitioni seruis, & inutilibus actibus distineris? Cur tibi ipsi non imperas, sæculum, quod fugisti, non deseris, virtutis studium non cupis, orationis donum non quaeris, ad charitatem perfectam non aspiras? An nobilitate sæculi inferior est ista nobilitas? An splendore fictitio minor est iste verus splendor? An dignitate mundana, amicissimorum Dei dignitas vilior est, aut abiectior? Sed illam appetere, istam autem fastidire, cecitas est deploranda, quam tu Domine à corde meo nimis obcæcato repelle, ut hanc verissimam nobilitatem, scilicet perfectionem, agnoscam, cognitam diligam, amatam cupiam, concupitam assequar, & assequutam in dies feruentissima diligentia promouere curem.

4. Regum  
5.

Matt. 8.

Ioan. 5.

Quæ

Quæ de sanitate diximus, eadem suo modo de perfectione dicamus, oportet. Charitas enim illa ita potens, ita efficax, ut hominem ad animæ sanitatem transferat, & non solum vitam spiritualem tribuat, ac etiam iuxta cuiusque statum imperfectiones amoveat, & optimas actiones conferat, nec non & stabilitatem, ac perseverantiam in bono concedat, perfectio animæ dicenda est, & sanctitas reputanda. Est ergo perfectio charitas sanans mentem nostram, vel (ut accommodatius ad propositam similitudinem dicamus) est sanitas animæ, ad quam si ægrotat (ut inquit Hieronymus) non manus valet pervenire medicorum, non herbarum succis, si deficit, reparatur. Nihil ad eam corporeum intare potest, substantiæ tantum suæ illi similitudo descendit, verbo curatur, obedientia conualescit. Et hæc sanitas in tribus, in vita, in spiritualium actionum optima exercitatione, & in stabilitate consistit. Primò illa charitas perfectio est, quæ tribuit animæ vitam, id est, quæ à morte peccati letalis liberat, & hominem Dei amicum facit. Nam homo peccatis mortuus, & vita gratiæ caris, vitis ac effectibus inordinatis corruptus, pravis exemplis coram omnibus fetens, & in mala consuetudinis tumultu collocatus, quoniam pacto poterit esse perfectus? Huiusmodi homines non sani, neque infirmi, sed plane mortui à Paulo nuncupantur: Et vos (inquit) conuiniscavit, cum effectis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis. Et alio loco: surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et rursus alibi: Quæ in deliciis est, vivens mortua est. Dominus quoque peccatores mortuos vocat in illa Scriptura: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quem locum Augustinus explanans, ait: Habent & animæ mortem suam in impietate, atque peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos, ut scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepeliret. Ergo qui in peccato sunt, cum vita spirituali careant, nihil cum perfectione aut sanctitate commune habent.

Non tamen satis est, quòd charitas animæ vitam tribuat, ut sanctitas ac perfectio iudicetur. Multi namque Deo vivunt, & gratiam ac charitatem habent, quos morbi animi cruciant, & spirituales dolores exagitant. Si lepra invidia tabescis, si febris ambitionis ardes, si paralyphi inobedientiæ dissolueris, si frenesit iræ, & indignationis ligaris, si hydropis cupiditatis instaris, si furore superbiæ teneris, vivus fortassis eris, sed non sanus, tepidus eris, & vitiosus, non vir sanctus, atque perfectus. Licet enim hæc aliquando non usque adeò procedant, ut letalia peccata sint, & animam mortis gladio confodiant, semper tamen sunt animi morbi, quibus qui subiacet, non sanus est, sed morbidus, & dolore cruciatibusque detentus. Illa igitur charitas perfectio iudicanda est, quæ supra vitam, sanitatem etiam animæ & incolomitatem imperit, illa scilicet quæ sensus animæ vegetos & rectè dispositos secum afferat, visum qui attentè res spirituales aspiciat, auditum qui vocem Domini audiat, odoratum, cui aliorum fervor, & virtutis cura bene oleat, gustum cui propter Deum amara dulcescant: & tactum, qui crucem amplectatur, & labores patienter teneat. De qua salutis parte inquit Paulus: Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. Illa charitas perfectio est, quæ membra spiritualia, hoc est, potentias mentis nostræ ad bene agendum, & opera virtutis præstanda consolidat, quæ humores, id est, affectus amoris, & odij, & ceteros temperet, quæ vires, nimirum vir-

tutes, humilitatem, castitatem, mansuetudinem & reliquas ad operandam corroboret, & omnibus impedimentis, siue internis, siue externis absoluat, quæ cibum, vel potum mortificationis appetat, dicēs cum propheta: Et cinerem tamquam panem māducabā, & potum meum cum fletu miscēbam. ] & somnum orationis, & contemplationis concupiscat, eumque placidè & quietè, & sine insomniorum phantasiis, id est, sine distractione cogitationum accipiat, quæ tandem decorum, ac iocundum oculis colorem habeat, nempe bonum ab omnibus testimonium, quia religiosam disciplinam probe servavit, & ea quæ ad se pertinebāt, optimè custodiuit. Audiamus Bernardum de hoc colore, salutis indice, siue de hoc bono testimonio loquentem, Triplex nobis querendum est (inquit) salutis nostræ testimonium, ab Angelo Maria, & Ioseph. Oportet, inquam, ut ante omnia nobis magni consilij Angelus salutis nomen imponat. Dehinc & ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio, quæ tamquam mater est singulorum, sed neque ipsius ministri contemnendum est testimonium ei qui imitari querit saluatoris exemplum. Sed dico ea manifestius. Et ab his, qui foris sunt, fratres mei, & ab eo, qui intus est habere oportet testimonium bonum: cuius enim omnibus grata, nemini onerosa est cōversatio, huic sine dubio propria de salute vniuersa fratrum congregatio attestatur: Habet & à prælatis testimonium, quisquis & peccata secularis vite, & huius quoque temporis negligentias humili eis, & pura confessione iudicanda semper exponit, & eorum satisfacere studet arbitrio. Necesso est etiam, ut optuletur nobis testis, internus, qui magis cor, quàm faciem intuetur: A quo sane incipiendum est, ut non prius quicquam concipiatur animo, quàm ab eo salutis nomen acceperit. Sed nunquid charitas ad hoc usque progressa, iam est omnino perfecta? nequaquam, nisi etiam tertiam proprietatem sanitatis habeat, ut scilicet in his omnibus cōstans, atque stabilis perseveret. Non quia perfecta charitas in hac vita nõ possit deficere, quod verum non est, nam & perfecti possunt cadere ( ut cecidit David, & cecidit Petrus) & charitatem perdere, & perfectionem amittere, quibus etiam dicit Paulus. Qui stat videat ne cadat; sed quia ut sanctitas, sit, debet stabilitatem virtutis propriam comparare. Sunt enim nonnulli ad breue tempus sensibili quadam deuotione perfusi, & cœlestibus consolationibus inebriati, qui quamdiu sobria, & sancta ebrietas consolationis durat, facile mundana contemnunt, seipsos & sua vitia, & passiones prosternunt, & disciplinæ religiosæ se ac legibus diuinis accommodant; sed si viuum deficiat, si consolatio evanescat, statim turbantur, humanas consolationes repetunt, & ad pristina vitia, & vana desideria revertuntur. An istos perfectos vocabimus? An istos sanctos iudicabimus, quos non charitatis magnitudo, sed deuotionis admiratio continebat? Nullo modo, qui eorum relictio, non ex habitu, sed ex quodam extrinseco auxilio tantum, ac favore processit. Quemadmodum enim homo gibbosus potest ad breue tempus seipsum erigere & rectus apparere nõ tamè ideo rectus est, quia gibbum habet, quem diligētia & conatu abscondit: ita homo pravis affectionibus ac vitiis corruptus, magnitudine alicuius deuotionis sopitus, potest sanctus ac perfectus videri, qui tamen perfectus non est, quoniam mille vitiis ac imperfectionibus scætet, quas deuotio ligat, & nouitas rerum spiritualium occultat. Sunt ergo perfecti, qui magnam charitatem habent, proprios affectus domantem, vitia destruentem, & ad

Hierony. epist. 7. de vera per secl. imm. 9.

Ephes. 1.

1. Tim. 5.

Mat. 23.

Aug. 20. de ciuit. 6.

Psal. 101.

Bern. ser. 1. de circumsis.

1. Cor. 10.

legum

lib. 8.

u. 5.

1. Cor. 14.

puram, atque illibatam vitam secundum cuiusque statum impellentem. Qui siue lati sint siue tristes, siue consolati, siue desolati, siue oleo deuotionis inuncti, aut laboribus, desolationibusque afflicti; munda horrent, seipos deserunt, strenue mandata & consilia custodiunt, mentis puritatem auidissime concitantur, & deum super omnia concupiscunt. Hæc charitas est sanitas & perfectio animæ, quæ vitam spirituales communicat, actiones huius vite proprias optime præstat, & in sinistris euencibus robur & stabilitatem impertit.

Perfectionem tandem arbori pulcherrimæ, & fructibus onerata comparamus, quæ similitudo ad explicandos perfectionis fructus nobis aditum patefaciet. Meditemur igitur proceram, & fructuosam arborem, non iam in hyeme omnium suorum bonorum indigam existentem, & quasi cum apparentem; sed æstiuo tempore pulchram, & diuitem, & quasi suas opes, ac diuitias propalantem. Iucundum est videre in ea radicem terræ affixam, aquarum decursibus irrigatam, truncum, siue stipitem non solum corticibus armatum, sed & salutifero gummi circumdatum, ramos vestitos foliis, & odoriferis floribus adornatos, pendentes suaes pomorum fructus, & gustum aspicientium inuitantes: quos si vel leuiter manu tangas, statim in tuum usum cadunt, & benignissimam matrem, à qua educati, & ad maturitatem adducti sunt, sine vlla tristitia, aut difficultate relinquunt, ac si scirent se non soli arbori fuisse creatos sed in hominum cibum, & voluptatem productos. O perfectio sancta, o sanctitas illibata, o puritas animæ splendida, atque decorata es ista arbor, quam Dominus in iustorum cordibus leuit, non ut torum dulcissimorum fructuum emolumento priuata maneres, verum ut eos ex te emittens, & aliis immensas diuitias reconcideres. Charitas ergo est quasi arbor fructifera, quod eò libentius assero, quò video Dominum omnem virtutem, ac vitium arbori comparasse. Omnis arbor bona (inquit) fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit. Et Gregorius vitam iusti (quæ præcipue in charitate consistit) palmæ libenter assimilat. Nec immerito (ait) iustorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superius verò, & visu, & fructibus pulchra; inferius corticem suarum inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra; in imo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur; in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur.]

Ista spiritualis arbor, antequam ad perfectionis naturam veniat, in incipientibus, & proficientibus, quasi in hyeme est, & frigoris, pluuatarum, niuium, & tempestatum iniuriis patitur. Non eam foliorum pulchritudo condecorat, non florum decor exornat, non fructuum maturorum copia multiplicat; sed tepiditatis horror inquietat, affectuum, & passionum stridor exagitat, & tentationum procella conturbat. Quod si aliquid iam pulchritudinis assequatur, illa est tamquam pulchritudo veris, in qua charitas veluti quemdam tranquillitatis nitorem acquirit, & feruoris viriditatem effundit, iam incipit paulatim frondescere, & floribus se, quasi vestimenta induere, & fructus bonarum actionum emittere, sed isti fructus nec dum maturerunt, nec omnem imperfectionem & acerbitatem abiecerunt, nec ad debitam dulcedinem, ac suauitatem properant. De quibus in canticis dicitur: Man-

furgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiant, si floruerint mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. ] Sponsa namque per agros, ac villas, iustos nondum perfectos intelligit, in quibus non fructus maturos requirit, sed flores, id est, sancta desideria, & fructuum initia, aut fructus acerbos, hoc est, opera bona nonnullis imperfectionibus mista, & infecta cernit. Cum autem illi adoleuerint, & ad aliquam charitatis perfectionem aduenerint, tunc fructus maturos, & suaves habebunt, ad quos sponsa Christum inuitauit, dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Non quia illa imperfectorum opera, licet distractione, & tepiditate, & aliis imperfectionibus sedata, grata non sint, ex eo quòd bonum habent, & à charitate procedunt, sed quia Ecclesia ob defectus modicos, quibus sciant, & quasi cum veracundia, illa Deo offert, nec digna conuiuio, & mensa superni regis existimat. Non tamen erit ingratum istam sententiam Theodoretum verbis audire. Sponsum (inquit) ut animarum viliam adhuc, & abiectarum, quas metaphoricè agros, & villas nominat, curam gerat, sponsa cohortatur. Neque enim dicit: egrediamur in ciuitatem, sed egrediamur in agrum, comoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus an vitis floruerit, aspiciamus (inquit) eos, qui modò prædicationem acceperunt, an floruerit germen. Intueamur, & meliores istos, qui non solum folia, sed etiam flores tulerunt, quos hic germen intelligit, an floruerint mala punica, an charitatis initium in aliquibus apparuerit. ] Incipientium ergo, & proficientium charitas quasi arbor in hyeme, aut in vere est, quæ primo tentationibus, & molestiis exercetur, & deinde virefcit, & florescit, & bonorum operum fructus parturit, nondum tamen optatam pulchritudinem & fructuum suauitatem, & perfectionem acquisiuit.

Charitas autem, quæ eò usque processit, ut perfectio animæ sit, arbori pulcherrimæ, & magnæ comparanda est, quæ in tempore ætatis, omnem decorem foliorum & florum & omnem fructuum suauitatem est assequuta. Verè arbor ætatis, nam feruore ardet, & miris amoris affectibus incalcescit. Ea terra cordis humani affixa est, ita ut nec tentationibus euellatur, nec tribulationibus extirpetur, nec portæ inferi præualeant aduersus eam Charitatem hanc riuus celestium auxiliorum rigant, & instar corticis diligentiùs tuetur diuina protectio, quæ ad alios etiam ob respectum vitæ perfecti seipsam extendit. Foliis præterea sanctorum verborum indocitur. Nam folia ligni huius ( ut est in Apocalypsi ) non ad fastum, non ad iactantiam, sed ad sanitatem gentium. Floribus sanctorum desideriorum & miris rerum celestium affectibus decoratur, Nam emissiones eius paradisi septem arborum ] id est, omnium supernorum charismatum, cum omnia vana desideria honoris, aut voluptatum, aut temporalium rerum contemperit, & sola desideria rerum celestium adamauerit. Fructus bonorum operum pendentes habet, non acerbos, & crudos, non stuporem gustanti afferentes, sed maturos, & coctos, atque ineffabilem suauitatem asseruantes. Hi multitudine innumerabiles, salubritate præcipui, aspectu pulchri, virum perfectum cumulatissimis præmiis amplificat, & proximos iuuant, atque sustentant, qui visus, aut auditis sanctorum operibus mirum in modum compunguntur, ad imitandum eorum exemplum animantur, & glorificant æternum Patrem, qui est in caelis. Nam ( ut inquit Richardus Victorinus ) ex agnitione bonorum, & virtutum eorum non parum accensum est in ani-

Matth. 7.

Greg. 19. 1707. s. 16

Cant. 7.

Cant. 5.

Theod. in Cant. c. 7.

Apoc. 22.

Cant. 4.

Richard. in lib. Cat. c. 3.





ma desiderium iustitiæ. Accessit enim ad arduentes hoc igne, quem Dominus Iesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Ad quos dum accedit tedidus, incalescit: & feruens amplius ignescit.] Istam speciosam arborem charitatis, tu Domine Deus meus in tuorum mentibus iustorum plantasti, vt in ea tuam erga eos bonitatem, & amorem ostenderes, & diuitias largitatis tuæ in sanctos & perfectos viros declarares. Vis, vt adolescat, optas, vt crescat, rigas & fodis circa eam, & mitis cognitionis humanorum defectuum, & culparum sterora, vt poma veteta, & noua ferat ( dum antiquos, & novos sanctos imitatur ) & in debitam mensuram assurgat. Sed heu me miserum, ô creator, & custos animæ meæ, quia in paucis adoleuit, & iustam proceritatem assumpsit. In multis arbuscula tantum est, recens fata, quam Diaboli astus euellit, quæuis exorta têtatio interimit, & vêtus persecutionis adurit. In aliis altas radices iecit, sed tamquam in hyeme omni pulchritudine caret, & curis huius mundi tamquam pluuiis, & procellis impetitur. In aliis verno tempore gaudet, & nonnullo Spiritus sancti calore frondescit, cœlestibus desideriis viret, & sanctis cogitationibus hilarescit. Iam fructus gemmant, vel etiam aperit se ostendunt, aut istam quantitatem acquirit, sed adhuc duri sunt, adhuc acerbi, & multis imperfectionibus irretiti. Quid enim est in meditatione tepiditas, in oratione distractio, in bona actione, & in labore molestia, nisi quædam fructus austeritas, quæ indicat eum necdum esse maturum? At in admodum paucis in æstiuum tempus progressa est, ita scilicet, vt in totam Ecclesiam, aut certe in totam congregationem bonum odorem spargat, alios oratione velut vmbraculo protegat, atque cooperiat, & fructus bonarum actionum emittat, ita mortuos ac temperatos, vt & Deo accepti, & hominibus dulces & suaves existant. Quos vnusquisque gustans dicat: Et fructus eius dulcis gutturi meo. ] Hanc charitatem tu Domine Deus concede nobis, ne semper infantes simus, & post tot annos vitæ religiois, pueri inueniamur, & ne modicum, quod te donante, recepimus, amittentes, illam terribilem incurramus sententiam: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. ] Sed magis procedentes de virtute in virtutem, & vitam viuorum, id est, perfectorum agentes, occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. ] Cui sit gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 2.

Isaia 65.

Ephes. 4.

De quatuor primis fructibus perfectionis.

CAPVT XIII.



**P**RAEDICTVM arboris simile, quo perfectionis naturam exposuimus, nos ad querendos tam salutaris arboris dulcissimos fructus impellit, quorum numerus prius inuelligandus, est, vt postea eorundem fructuum naturam, & qualitates inquiramus. Numero enim ignorato, in eo periculo sumus, vt aliquis charitatis fructus nos ipsos praterat. Puto autem perfectionem esse arborem illam speciosam atque mirabilem, quã Ioannes in extrema suæ reuelationis parte descripsit. Et ostendit mihi (inquit) fluium aquæ viuæ, splendi-

Apo. 22.

**A** dam tamquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad salutem gentium. ] Fluius iste auxilium est diuinæ gratiæ, cuius aqua viua est, nimirum semper manans, & splendida tamquam crystallus, id est, mentem illuminans & ab omni sorde, ac fæditate purificans. Quam Dominus Ecclesiæ suæ promittit. dicens: Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis, & quæcunque omnes suos potat ac recreat, & deducit eos ad vitæ fontem aquarum. Et rursus: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. ] Audi, quid de hoc fluuio sentiat Richardus Victorinus. Fluius (ait) est gratia Spiritus sancti, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Quæ rectè fluuio comparatur, quia singulas generationes rigando, post vnã in alterã fluit, & si aliquando aliquibus subtracta angustetur, aliis tamen participando, per aliquos fluere numquam desinit. Quæ etiam bene assimilatur aquæ viuæ: aqua, quia reficit, viua, quia numquam deficit, aqua, quia abluit, viua, quia semper fluit. Procedit hic fluuius à sede Dei, & agni, quoniam à Deo gratis, & sine vllis nostris meritis datur, & ob merita Christi Saluatoris nostri confertur. Quare apud Ezechielem è templo exire conspicitur, nempe ex Christo Iesu, qui templum Dei appellatur. Nam in eo (vt Paulus ait) habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. ] Omnes vicos, & plateas ciuitatis Ecclesiæ rigat, quia omnibus iustis tam incipientibus, quam perfectis, viuificum humorem aspergit. Eius verò vtramque ripam lignum vitæ, id est, perfectio, siue arbor vitæ nobilitat, quia perfectio secus decursus huius fluuij plantata, in vtraque lege, tam antiqua, quã noua, his salutaribus aquis irrigata perseuerat. Et iure optimo in ligno vitæ perfectionem signatam esse intelligim, quæ & ab Spiritu sancto auctore vitæ procedit, & vitæ habetibus eã elargitur, & operibus vitæ, scilicet operibus spiritualibus generatur, colesuat, & crescit, & omnes quotquot spiritualiter viuunt, eius beneficio viuunt, quia, aut consummationem, aut profectum, aut saltem eius initium participant. A qua intelligentia Sanctus Bonauentura non multum discedit, qui per lignum vitæ fructum charitatis intelligit. Lignum vitæ sancta perfectio est, in cordibus iustorum plantata, qui hinc, & inde, tamquã terra bona, & tamquã ripa amoenissima diuine gratiæ fluuij alluantur: cuius ligni radix est timor Dei, Nam initium sapientiæ timor Domini ] eius truncus est amor Dei, qui si aliquando consenuerit, & præ tepiditate mentis penè cessauerit, ad odorem aquæ germinabit, vt scriptum est in Iob: & faciet comam, quasi cum primum plantatus est. ] Cuius rami sūt omnes virtutes, quæ ab amore tamquam ab initio procedunt, de quibus Ecclesiasticus: Rami eius logaui, & sub ramis eius iustus morabitur. ] Cuius folia sūt præcepta diuina, quia lignum istud protegunt, & ornant, & ad sanitatem gentium sunt instituta, nam præceptorum custodia, gentes morbis peccatorum liberantur, & salutem iustitiæ adipiscuntur. Quare apud Ezechielem folia hæc dicuntur ad medicinam. Cuius fructus duodecim sunt, quos inuestigare contendimus, vt ex bonis fructibus bonam arborem agnoscamus. si fructus, duodecim effectus sunt charitatis perfectæ, quos in viris perfectis animaduertimus, & eos legere, & alta consideratione meditari debemus, non solum vt eorum notitiam, sed multo magis, vt ipsorum gustum, & experimentum capiamus. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. ] Vnde & Salomô,

Apo. 21.

Ierem. 7.

Richard.

Ezechiel. 47.

Coloss. 2.

Bona. in gener. ser. 18. ad finem.

Psal. 110.

Iob. 14.

Eccles. 1.

Eccles. 24.

Ezech. 47.

Rom. 2.

Rom. 2.

Prov. 3.

Iob. 1.

Hier. epist. 1. 51 ad Algasia. 9. 8.

Rom. 11 Galat. 1. 1. Petr. 2. Prov. 40.

Non sapientia, id est, perfectionis cognitores, sed possessores beatos existimat. Beatus homo (inquit) qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti & auri, primi & purissimi fructus eius, pretiosior est cunctis opibus, & omnia quae desiderantur huic non valent comparari. ] Tu Domine, dum suauissimi ligni vite fructus enarro, & ipsorum qualitates exaro, menti meae fletum magnum, & compunctionem infunde, qui solam ieiunam quemdam istorum fructuum cognitionem hausi, & numquam eos gustavi, & praeterepore & ignauia numquam tatorum bonorum experientiam acquisiui.

Primus fructus perfectionis est, puritas mentium. Est enim perfectio, siue perfecta charitas veluti quaedam purissima ac splendidissima lux, quae peccatorum letalium tenebras horret, & leuium peccatorum umbram pertimescit. Ideo mentes peccatorum suae ditioni subiectas, prouocat, non solum vt crimina vitent, quibus nihil est obscurius, nihil miserius, verum etiam vt leuissimas qualque maculas perhorrescant. Non quia viri perfecti, dum vitam mortalem agunt, ab omni leui macula sint immunes. Nam certe nullus eorum, cum thesaurum istum habeat in vase fictili, potest leuissimos defectus cauere: Si Christum Dominum, peccatorum principem, & Beata Virginem peccatorum decus, & reginam excipias. Quare Hieronymus illud, quod de Iob dicitur: erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo; ita intelligit, vt non omnimodam puritatem, qualem in Beatis est inuenire, sed morum emendationem significet. Eius verba sunt. Nisi forte hoc dicamus, quod recedens ab omni malo, emendationem significet, & de erroribus pueritiae, & de vitiis lasciuientis aetatis transitum ad correctionem, atque virtutes: Iustitiam quoque quae in Zacharia & Elizabeth praedicatur foris esse: concupiscentiam vero, quae nunc habitare in mentibus nostris dicitur, versari intrinsecus. ] Et statim subdit. Sed & apostolis non pueris praecipitur, verum iam aetatis robusta, vt assumant perfectionem, quam, & nos confitemur in aetate esse perfecta. Nec haec dicentes adulamur vitiis, sed auctoritatem sequimur Scripturarum, quod nullus homo sit absque peccato, sed conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnium miseretur. ] Absque eo solo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde & per Salomonem dicitur, quod serpentis vestigia non inueniantur in petra. ] Sed idem dictum est, perfectam charitatem leuissima quaeque peccata non admittit, quia diligentissima cura ea cauet, & si inciderint, lachrymis & gemitibus diluit. Perfectionis ergo huius vite puritas in hoc sita reperitur, vt omnia graua peccata penitus fugiat, & corporalem mortem, imo & ipsos Gehenna cruciatus potius, quam aliquod graue crimen admittat, & vt leuia peccata numquam de industria perpetret, & quae humana fragilitas secum affert, quotidie numero minuat, imminuta, qualitate extenuet, extenuata, sapissimè odio ipsorum, & Dei feruentissimo amore consummat. Sicut enim industrius, & egregius eques, qui equum, cui insidet, sciat optime moderari, ita illum freno, & loris coarctet, vt rectam viam carpat, & si quid modicum deuiauerit, mox ad eam redeat, & semper vltra procedat, & nouum iter conficiat. Ita perfecta charitas viros sanctos gubernat, & regit freno, & loris auxiliij Dei, vt ferè semper virtutis, & sanctitatis viam teneant, & si aliquando modicum quid per leue peccatum ab ea declinauerint, statim eo dimisso, imò aqua contritionis suffocato, & igne

A amoris consumpto, ad caeptam virtutis viam, cum magna celeritate reuertantur. Et in hoc sita est similitudo Dei viros perfectos exornans, & eos suo splendore nobilitans, si ipsi leues etiam abiiciant maculas, & munditiam, ac puritatem mentis maximo desiderio sectentur. Quod ex Ambrosio didicimus in hunc modum scribente. Hoc est similem esse Dei, habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum. Deus enim est sine peccato, & ideo qui peccatum fugit, ad imaginem Dei est. Perfectio igitur hunc primum fructum, ac suauissimum edit, vt doceat crimina penitus abolere, & leuia peccata toto mentis conatu fugere, & si nos aliquando sedauerint, faciat lacrymarum vndis, & feruore amoris maiori deinceps circumspectione lauari, vt sic imaginem, & similitudinem Dei incoinquinatam gestemus, & singulis momentis, si fieri possit, ad maiorem virtutem, & puritatem procedamus.

B Secundus fructus perfectionis est, abiectio temporalium. Nam perfecta charitas est, vt ditissimus & amplissimus thesaurus, qui omnes sinus, & recessus mentis occupat, ne terrena capiat, aut vilia & abiecta huius mundi bona concupiscat. De quo illud in Ecclesiastico inuenimus. Incunditas cordis haec est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio vire est longaeuitas. ] Quibus verbis hominis vitam, & diuturnitatem in vera laetitia, ab studio virtutum exorta, & in sanctitatis, ac perfectionis thesauro constituit. Hic ergo thesaurus nos impletus, & exacians, duobus modis facit vt terrena contemnamus. quia viros perfectos vitam saecularem agentes, mouet, vt licet opere temporalia retineant, quae pro ratione status non possunt abiecerit, tamen corde nihili faciant, nec confidant in incerto diuitiarum: Viros vero perfectos in religione viuientes, excitat, vt non solo corde, sed etiam opere terrena contemnunt. Illi quidem temporalia corde solo reiciunt, quia opere non possunt relinquere, quae in vsum filiorum, atque familiae debent iusticia exigente, custodire. Ideoque nullo pacto ab illa benedictione repelluntur, qua pauperes spiritu heredes vocantur regni caelorum. ] Nam licet opere diuitias possideant, corde tamen ab illis auulso, & ab amore earum separato paupertatem amant. Tales erant Abraham, Isaac, & Iacob, & multi alij olim legi veteri feruientes, aut postea sub vexillo crucis, ac nouae legis militantes, qui ita opes & diuitias possidebant. vt eis corde non adhaerescerent. Talis & Iob, qui omnium rerum a se possessarum priuatione multatus, non sine magna interioris hominis aequanimitate dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Religiosi vero perfecti ad maiora aspirantes, non tantum res temporales corde, sed & operatione contemnunt, ita vt nihil proprium possideant, ad quod votum paupertatis astringit, verum etiam ita earum vsum extenuant, vt nihil ex eis, nisi valde necessaria ad vitam, & corporis incolumitatem conferuandam admittant. Quamobrem ipsi nihil possidentes, in peculium, ac possessionem transeunt Dei, quam Pater promittit filio, cum dicit se daturum illi in possessionem terminos terrae. ] Terminos enim terrae accipete possamus (inquit Beda) solos perfectos, qui vera possessio Dei dicuntur, quia adeo se a terrenis elongauerunt, quod nihil in eis retinuerunt, nisi quantum ad supplendam necessitate vix sufficit. ] Hunc autem tam verum, atque exactum

Ambr. de fuga saeculi. 4.

Eccles. 30.

Matt. 5.

Iob. 1.

Psal. 2.

Beda in Psal. 2. tom. 8.

rerum temporalium contemptum esse perfectionis fructum Hieronymus non obscure testatur, qui Heliodoro promissionem in memoriam reuocans, quae cum vitam religiosam arripuit, pollicitus est se perfectionem quaesitum, ita subdit: Perfectus autem seruus Christi, nihil praeter Christum habet, aut si quid praeter Christum habet, perfectus non est; & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est: Os autem, quod mentitur, occidit animam. Igitur, ut concludam: Si perfectus es, cur bona paterna desideras? Dominum sefellisti, si perfectus non es. Diuini Euangeliū uocibus intonat: non potestis duobus dominis seruire; & audet quisquam mendacem Christum facere, mammona, & Domino seruido? Vociferatur ille sepe: Si quis uult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, & sequatur me. ] Et ego onustus auro, arbitror me Christum sequi: Qui dicit se in Christū credere, debet, quomodo & ille ambulauit, & ipse ambulare. ] Is ergo optimē ac sapienter dicit, religiosum, terrena habentē, Deo & mammona, duobus dominis contrariis, seruire: Nā licet bonus saecularis, facultates conquirens, cōseruans, aut augens, in hoc, Domino seruiat, siquid illi interdicitus non vsus diuitiarum; tamen religiosus contra pollicitationem factam, & contra uoluntatem Domini, rebus terrenis inhaerens, in hoc nō Domino famulatur, sed Diabolo ipsum decipienti obsecundat. Perfectio ergo in nobis, qui mundum reliquimus, hunc fructum praestantissimum affert, ut omnia terrena, siue ad copiam, siue ad dignitatē, siue ad splendorem pertinentia, cōstantissima uoluntate conculcet, & tamquam stercorea pro nihilo ducat.

Tertius fructus perfectionis est, quies appetitū. Perfecta namque charitas est, sicut prudentissimus, ac solertissimus gubernator, cuius propriū est reipublicam nostrorum appetituum regere, passiones, ad quamdam pacem, & tranquillitatem redigere, & affectus nostros, ne in uana mundi oblectamenta prolabantur, in officio continere. Appetitus regit, quia illos à rebus terrenis abducit, & in instrumenta uirtutis, sua potentissima suauitate cōuertit. Ita scilicet, ut perfectus uir amores, & desideria in rebus diuinis colloquet, odiū, atq; tristitiā in peccata, & uita, & impedimenta uirtutis intorqueat: Spem in solo Deo, & desperationem in seipso constituat: difficilia propter perfectionē audeat, & aduersus quotidianos defectus iram, indignationemq; concipiat. Cuius exemplū licet in Dauide conspicerē, de quo haec narrat regū historia, Tulit Dauid frānū de manu Philisthim & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coarctans terrā: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendū, & vnum ad uiuificandū. ] Aufert enim perfectus uir frānū de manu Philisthim, si dominium appetitū suorum ē potestate demonum tollat, & de manu inimicorū eripiat. Percutit Moab, si desideria mundana à primo parente hereditate transfusa castiget: coarctat terrē, si metiatur funiculo, & humiliet seueritati iustitiae: Et metitur duos funiculos, vnum ad occidendū, & vnum ad uiuificandū, si appetitus immoderantiam reprimat, & quod in eo bonū est, & uile, uirtuti reat. Charitas etiam perfecta, passiones trāquillat, quia ea, si insurgāt, baculo mortificationis percutit, uoce orationis pacificat, & materiā inquietudinis, id est, occasionem amandans, neque aduersus rationem rebellare, imō nec mutire permittit. Et i. ed. ei Richardus Victorinus non incongruē totius nostrae uitae ordinem, morum compositionem, & excessuū correctionem attribuit. Haec (inquit) est, quae uitam

A ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, ualens ad omnia, & omnibus praualens. ] Tandem affectus in officio cōtinet, nam eos, non solum ab illicitis abstrahit, sed etiam à multis licitis, & cōcessis auellit. Quo pacto uerò affectus nostri, aut uoluptatem uetitā, aut opes superfluas, aut honorem, & dignitatem saecularem cupiēt, qui docti sūt gaudia licita, & res ad vsus necessarias spernere, & modicis etiam laudationibus, & quodāmodo debitis repugnare: Qui charitatem hāc licita etiam respicientem habent, sunt de Principibus Patrum, qui cum ingrederētur templum Domini, quod est in Hierusalem, sponte obtulerunt in domū Domini ad cōstruendā eam in loco suo. Verē ad principes pertinent, hoc est, ad uiros perfectos, & in Patribus numerandi sunt, qui more principum magna audent. Res enim magna est non tantum oblationes debitas Domino offerre, sed etiam obsequia non debita diuinā maiestatis obtutibus praesentare. Hi ergo cum domum Domini, id est, tabernaculum proprii cordis ingrediuntur, ei sponte donaria offerunt, quibus extruatur in loco suo, quia quod amplius quique (ut meditatus est Beda) cum continentia interdictionum, etiam à licitis abstinent, eō efficacius Ecclesiā Dei aedificant: Cum omnes qui exempla perfectionis eorum cognouerint, tantō magis in illicitis defluere ipsi formidant, quantō eos, nec licitis per omnia uti considerant, sed potius dicere: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. ] Haec ille scripsit tamquam expertus: Nihil enim amplius congregationem aedificat, quam in licitis, atque in rebus cōcessis parcitas, quam qui seruauerit, & testimonium bonum apud alios; & magna apud Deū merita congregabit. Ecce ergo tertium perfectionis fructū, & illum praestantissimum, cuius si aliquem gustum acceperis, uel retinueris, uti iam ad aliam uitam pertinet, ineffabilē pacē, & mentis requiem experieris.

Quartus fructus perfectionis est, circumspectio uerborū. Quia charitas perfecta, est instar carbonis igniti omnes oris nostri sordes cōsumens, & labia nostra purgantis. Quo carbone unus de Seraphim in cōspectu Dei altantibus, Isaia labia purgauit, & ad manifestāda uerba Dei, & praedicanda disposuit. D Et uolauit (inquit) ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. ] Nā calculus iste, id est, carbo ignitus, ab altari tollitur, quia à Christo Salvatore nostro, qui ara, & sacerdos, & hostia est, manare dignoscitur. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. ] Hoc, id est, mysterium hoc mirabile in carbone signatum, scilicet, quod homo Deum perfecte diligit, labia iusti tēgit, & omnes maculas uerborum abtergit. Qui enim perfecte Deum diligit, qua ratione diligit, nulli obloquitur, nulli conuitium, aut cōtumeliā infert, nullius peccata, aut defectas sine iusta necessitate, aut sine spe correctionis, & sine emolumento congregationis detegit, nullius honorem, & bonā existimationem eleuat, nullūque uerbis, & dictis offendit. Nam omnes proximos, ut Christi summe dilecti membra respiciens, nescit eis malum asferre, quos amato suo fide, & amore inhaerere praesumit. Qui perfecte Deum diligit, eo ipso quod diligit non saecularibus colloquiis distrahitur, non uerbis rerum ad uitam spirituales minime pertinentium gaudet, non uanis rumoribus occupatur, quia cor caelestium rerum amore suscipitur, quo nam modo aut uana audiet, aut terrena loquetur, aut ad res inuitiles, & inanes attendet? Stultus (inquit sapiens) non uerò perfectus, uerba multiplicat; & alio loco

br. de facu- 4.

Hier. opi- sola. 1. ad Helio. c. 6.

Eccles. 1.

Matth. 6.

Luc. 9.

1. Ioan. 2.

11. 5.

1. Reg. 8.

1.

11. 2.

11. 2. 8.

Richard. lib. de gradibus charitatis, c. 1.

1. E. s. d. 2.

Beda lib. 1. in ex. dram. c. 2.

1. Cor. 6.

Isaia 6.

Eccles. 10.

prou. 30.

prosp. lib.  
3. de vita  
contemp.  
c. 6.Greg. 4.  
mor. c. 5.

rogat, dicens. Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.] Nam verba mendacia sunt (cùm eis desit veritas, & adeit vanitas veritati, & sollicitati contraria) quæ sine iusta necessitate, aut pia vtilitate funduntur. Qui tãdem perfectè Deum diligit, ea loquitur quæ Deo placeant, quæ sibi prosint, & vtilitati proximorum inferuiant: dicente Prospero Episcopo Regiensi. Hoc loquuntur quique, quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus vólunt.] Si ergo perfectè rerum diuinarum amore ardent, & puerilitates rerum humanarum auersantur, liquet, quia amor iste faciet eos semper, & res spirituales tractare, & negotiorum profanorum obliuisci. Videas eos in colloquiis suis peccatorum infelicitatem damnare, mundi transeuntis miserias exponere, Sãctorum, quos imitantur, aut imitari gestiũ acta referre, Dei beneficia laudare, æternam vitam suspirare, & verborum serie verè Dei amatores, & cælestis patriæ negotiatores se exhibere. Longè ab ore illorum sunt detractiones, scurrilitates, vaniloquia; quia os illud sacrum semper clauditur, & nisi ad attrahendũ compunctionis, & amoris spiritum non aperitur. Denique (vt Gregorius ait) sicut clausa vascula, quid intus habeant, ignoramus; aperto verò ore vasculorum, quid intrinsecus contineatur agnosceimus, ita Sãctorum corda, quæ clauso ore occulta sunt, aperto ore deteguntur.] Quid igitur in cordibus nostris lateat, eloquia, quæ fundimus patenter ostendunt: & inane est cor, quod inania loquitur, & indicium plenitudinis, si sancta semper, & proficua loquatur. Ecce quatuor primos fructus ligni vitæ, non minùs quidem suauitate, quàm salubritate præstantes, quos si iugiter comederis, & non perfunctoriè tantùm, sed quasi ex professo gustaueris, & veluti quotidianum cibum habueris, indicia iam habes, te tantæ perfectionis esse consortem.

De quatuor medijs fructibus perfectionis.

CAPVT XIV.

**S** I C V T aliquod pomarium ingressi, qui poma in vestibulo horti inuenta gustantes, eorum mirabilem suauitatem admirati sunt, aliarum arborum in interiori parte constitutarum fructus gustare cupiunt, vt experimento comperiant, an suauitate, & dulcedine priores excellent: ita & nos, qui primæuos fructus arboris vitæ, id est, perfectionis, non sine admiratione, & stupore libauimus; æquum est, vt alios ex altioribus, & nobilioribus ramis pendentes, non solum leuiter tangere, sed affatim quoque manducare cupiamus. Quia non parua horum sanctissimorum fructuum iniuria esset, si quod fructus terreni in hominibus corpori seruientibus faciunt, isti spirituales in nobis non facerent, & priorum dulcedo palato puri cordis ingesta non dulciorum fructuum desiderium accenderet. Agedum igitur, & qui primorum quatuor fructuum perfectionis meram suauitatem audiuius, aliorum qui sequuntur, & qui primos præsupponunt, dulcedinem, & suauitatem audiamus.

Quintus ergo fructus perfectionis, est munditia cogitationum; cuius vim, & naturam, vt intelligamus: libet charitatem perfectam mundissimæ Virgi-

**A** ni comparare, quæ nõ solum exterioris ornatus laetitiam, & elegantiam curat, sed multò maiori diligentia, sui ipsius munditiam, & puritatem asseruat: Ita prorsus charitas, cùm ad fastigium perfectionis ascenderit exteriorum quidem operum bonitatem quærit, & minimas quoque ab eis imperfectiones remouet, sed diligentiori conatu, cordis cogitationes mundat, & puras, incontaminatâsque custodit. Quare sponsa, quæ typus est animæ perfectæ, magis de interna pulchritudine, quàm de externa, & hominum oculis comperta, laudatur. Oculi tui columbarum (inquit sponsus) absque eo quod intrinsecus latet: ] Et sicut fragmen mali punci ita genæ tuæ; absque eo quod intrinsecus latet. ] Quia valde honestum est (vt interpretatur Gregorius) quid quid in exterioribus operatur, quòd simpliciter inter homines conuersatur, quòd ea, quæ videt temporaliter, concupiscere dedignatur, & si quid tamen in hoc mundo placet, post concupiscencias suas ire detestatur. Sed vehemèter pulchrius & honestius est, quòd cordis desiderium illibatum retinere conatur, quòd æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet: erecta contemplatur: quòd in his quæ interiùs videt, suauiter requiescit, & mundatur.] Longè itaque sunt ab ista anima perfectionis amatrice, turpes & inhonestæ phantasia, inanes & amaræ cogitationes, vanæ & periculose aliorum suspiciones, ridicula & inepta deliria: nihil cogitat, nihil desiderat, nisi quod mundum est, quod proficuum est, quod beneuolum est, quod cæleste & sublime est; quia charitas munditiæ confectrix, hæc munda & illibata fouet, atque complectitur; illa verò impura, & noxia, manu discretionis imandat. Et ita internæ puritatis est auida, vt solas illas cogitationes admittat, quæ purissimis Dei oculis sint gratæ, & omnibus hominibus sine rubore & verecundia possint esse conspicuæ; quas si Deus ab occulto cordis extraheret, & in fronte conscriberet, aut vniuersis aperiret, homo nec eas indignas sua nobilitate, & statu putaret, nec tamquam ineptas, aut insipientes erubesceret. Quia verò difficillimum est tantam cogitationum puritatem, & tranquillitatem conseruare, simus sicut solertissimi piscatores, suauissimos cibos regibus, & principibus quaritantes, qui ex piscibus, aut hamo, aut reti collectis bonos & salubres custodiunt, & malos insalubresque proiciunt. Neque hoc simile ad maiorem legentium voluptatem elegantissimis verbis Ioannis Cassiani enucleare prætermittimus. Sit nãque vir iustus (inquit) velut piscator egregius, victum sibi Apostolica arte prospiciens, qui in tranquillissimo cordis sui profundo, agmina cogitationum natantia, intentus atque immobilis capret, & tamquam de prominenti scopulo curiosè profunda prospectans, quas ad se hamo trahere debeat salutare, quas verò tamquam malos, ac noxios pisces, negligat, ac refutet sagaci discretione diiudicet. Cuius laboris, atque conatus, non amarus aut contemnendus colligitur fructus: nam benignus,

**B**

**C**

**D**

**E**

Cant. 4.

Gregor. in  
Cant. c. 4.Cassi. col.  
14. c. 3.Michee.  
2.

cisti,

cisti, non viribus, sed gemitibus, sed desideriis, sed precibus, & amplam benedictionem, hoc est, perfectam charitatem, abundantia suspiriorum, & lacrymarum impetrasti; Ecce ego in vnu colligam cogitationes tuas, & desideria tua, iuxta quod prophetatum est, quoniam aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. ] Ecce ego in vnu conferam reliquias tuas, id est, discursus mentis tue, quasi greges ovium, quæ à me bono pastore monentur, ut diem festum agant tibi, & in eorum possessione lateris. Non erunt pauca istæ bonæ cogitationes tuæ, nec earum penuria contristatus, aut perturbatus, sed placidam & iocundam harmoniam efficiant. His verbis magnificis Dominus cogitationum manditiam perfectis promittit, quam & beneficio charitatis perfectæ tempore opportuno præstat. Nam charitas hæc, cum plenum mentis dominatum acceperit, ita eam absorbet, ut Deum, & quæ ad ipsum pertinent tantummodo cogitare faciat, & nihil vanum, nihil otiosum, nihil ab æterna salute alienum cogitare permittat.

Sextus fructus perfectionis est impatientia desideriorum. Cui enim charitatem perfectam assimilabimus, nisi maximo igni, & voracibus flammis, numquam materia combustibili sibi concessa faciatis, sed eò illarum ætus impatientior est, quò plura, & maiora cõburit: sic prorsus sunt perfectæ charitatis desideria, quæ semper nova virtutum opera inveniunt, nova Dei obsequia perferunt, novos labores aggrediuntur, & cum oculis humanis fatigati videntur, tunc diligentiori conatu, & maiori robore, quasi nihil egissent, incipiunt. Salomò certe sapientissimus, qui sub rerum naturalium involucribus affectionum humanorum naturam expressit, quatuor invenit planè insatiabiles, & novi pabuli semper percupidos. Tria (ait) sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicitur sufficere. Infernus & os vulvæ, & terra quæ nõ faciatur aqua, ignis verò numquam dicit, sufficit. ] Infernus est affectus invidia; nõ instar inferni horridum est, ac tenebrosum, & alterius perniciem, excidium, & mortem concupiscit. Os vulvæ est affectus luxuriæ, nam & ipso usu nõ extinguitur, sed immo-deratius, ac vehementius accenditur. Terra est affectus avaritiæ, quia semper terrenis inhiat, & numquam arvo, & argenteo faciat; sed crescit amor nummi, quãtũ ipsa pecunia crescit. ] Ignis est superbiæ, & ambitionis affectus, qui omnibus vult eminere, vniuersos sibi subiicere, & numquam status altitudo eum faciat, sed desiderium altioris dignitatis inquietat. Hæc insaturabilia sunt in malum, sed perfectæ charitas in bonum sine vlla comparatione insaturabilior. Ita ut oculis nostris videamus, quòd vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia, per Iesum Christum Dominum nostrum. ] Inuidus enim, aut fratris osor, tam ingentem calamitatis miseriam in hoste videre posset, ut eius odium iam cõquiesceret, & penè ad commiserationem moueretur, vel saltè nihil amplius mali, & calamitatis, ei desideraret. Et perfectus vir, & maximæ charitatis amore ardens, numquam tanta Deo obsequia offert, nec tãtas eius laudes in mundo videt, aut animo meditat, & fingit, quin multo maiores, & infinita cumulationes desideret. Verè fortis tamquam mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. ] Nam sicut illa immittis vitæ hominũ semper est auida, & ille insatiabilis animarũ semper est cupidus: Ita charitas perfectæ & zelus perfectus honoris Dei, quantumvis amet,

A quantumvis diuinum honorem in mundo promoveat, numquam dicit, sufficit, sed ardentiori desiderio ad maiora, & difficiliora procedit.

Luxuriosus etiam, & carnis deliciis intemperanter indulgens, ipsa saltem naturæ imbecillitate, compellitur ab infami vitio cessare, & seipsum continere: at quis perfectam charitatem continebit? quis eã frænabit? cuius opera, cuius desideria non naturæ imbecillitas parturit, sed Dei gratia omnium rerum creatarum potentissima fundit? Quenam infirmitas eam cohibebit, quæ quò plus laborat, quò maiora & altiora patrat, eò fortior, robustior, & (si ita loqui liceret) intemperantior efficit? Hæc est vulua illa, de qua Dominus apud Isaiam: Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. ] A qua namque nos Dei vulua portamur, nisi ab immensa eius charitate, misericordia, & clementia, quæ nos cum non essemus, non sine purissima voluptate ab æterno concepit, conceptos, suo tempore parturiuit, in lucem editos, educavit, edacatos, erudiuit, eruditos; ad virilem ætatè usque prouexit, & prouectos, in cælis semper mansura hereditate donauit. Perfecti verò, tamquã veri filij Dei, adoptionis beneficio, quo adoptantur in filios, & tamquã Deo patri amantissimo similes hæc charitatis vuluam nõ minus puram, & sanctam, quàm auidam filiorum participant, cuius possessione tantum abest, quòd sint steriles, quòd potius usque ad senectam & senium, imò & usque ad ipsum momentum naturalis mortis solent interdum esse fecundi. Et quasi viri desideriorum semper noua appetunt, maiora Dei obsequia concupiscunt, & cum penè innumeros filios pepererint, id est, innumerabilia bona opera fecerint, & innumerabiles labores sustinuerint, maiori quàm antea auiditate de nouo concipere, ac impleri desiderant: Quæ retro sunt obliuiscetes, cum Paulo, & ad anteriora extendentes seipsos, ] ut in terris plures filios habeant, & in cælis ampliores coronas recipiant.

D Auarus quoque, ac pecuniæ cupidus interdum tantis curis, ac sollicitudinibus premitur, tantis litibus, & contentionibus angustatur, tantis eorum, quos spoliavit, cõminationibus, & maledictis proscinditur, ut iã securius & melius iudicet parta tueri, quàm cura maiorum opum aggregandarum onerari. Sed perfectæ charitas omnibus cupidis multò cupidior, nec tribulationibus, nec molestiis, persecutionibus, nec maledictis compescitur, quominus laborum præteritorum oblita, maiora sitiat opera, & ad ampliores meritum diuitias aspiret. Audiamus vnum perfectorum, an ipso mortis discrimine teneatur, ne sublimiora audeat, & ad alia Dei obsequia ultra procedat. Sed ipsi in nobismetipsis, ait, responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis. ] Et an responso, id est, certitudine mortis, o Paule concidisti? An tantis pressuris, o auare, non diuitiarum, sed animarum, non auri, sed honoris diuini à desiderio acquirendi cessasti? Nequaquam; Nam qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuabit, & vobis in oratione pro nobis. ] Ostendit ergo Paulus sua desideria ne timore quidem mortis esse sopita; sed potiùs ad maiora facinora aggredienda excitata; quia perfectæ charitas, quò magis bibit, amplius sitit, & quò voracius edit, eò intolerabiliore fame mordetur. Qui enim edunt me (inquit ipsa) adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient; quoniam amatores mei, ita meritum dulcedine replebuntur, ut numquam ampliora horreant, nec de nouo indigesta fastidiant. Sum namque voracior terra, quæ (Iob attestante) sicut aquarum

penuria siccatur, ita nimia abundantia subvertitur.] At ego singulis momentis, celestis fauoris aquis irrigata, imò omnino submersa, non destruo, sed abundantius, & gloriosius fecundor.

Superbus tandem, & ambitiosus aliquando materia subtractione continetur. Nam si Deus aliquando permitteret propter hominum peccata, vt superbus regnaret super terrâ, hic ad Regiam, aut imperatoriam dignitatem euectus, aut rex omnium regū factus, vel totius Ecclesie pastor constitutus, quidnā amplius concupisceret, aut ad quam maiorem dignitatem anhelaret? Perfectus autē vir, & magnæ charitatis igne succensus, nec ipsius desiderij pusillanimitate, nec materia subtractione à maioris sanctitatis ambitu cohibetur. Quomodo enim desiderium ipsum per se cessabit, quod sit maiorum rerum affectione potentius? Aut qua ratione materia sanctorum desideriorum deficiet is, qui quantumvis magnam puritatem assequantur, aut præstantissima opera faciunt, semper infinitum restat assequendū, aut aliquid maius, excellentiusq; patrandum. Equidem puto Laurentium flammis addastum, & incredibili vi tormentorum cruciatū si interrogaretur, an esset vsq; ad facietatē passus, sine vlla cunctatione dicturum, se patiendi propter Christum desiderio, carnicum crudelitatem vincere, & ignem suas carnes asstantem, & consumentem superare? Cui fidem faceret martyr Ignatius, ignē, crucem, bestiarum constantiam, abscissionem, separationē, contractionem, dissipationēque membrorum, & interitū totius corporis, ac vniuersa flagella Diaboli exoptans, vt Iesū Christū mereretur adipisci. Equidem existimo Dei param Virginē, in ipso sui obitus sanctissimi pūcto constitutam, & ad immensam puritatem exaltatam, quæ esset digna matre & sponsa Dei, adhuc maiore aliquam puritatem esurisse, & si aliud vitæ momentum sibi concessum esset, eam nouo, & illo præstantissimo merito fuisse cumulandam. Ignis ergo iste perfectæ charitatis, quem Christus venit mittere in terram, & voluit vehemēter accēdi, corporeo igne, imò, & prauæ cupiditatis igne voracior est quæ nulla acquisita puritas satiat, cui nulla merita satisfaciūt, quæ nulla dignitas, id est, nulla ad Deū propinquitas comprimit, quin amplius conatibus, & desiderijs excreseat. Vnde liquet, quia perfecti desiderii veluti impatiētes sunt, qui dicūt, Satiabimur cū apparuerit gloria tua.] Quamdiu verò gloria nō apparet, sed carne mortali cinguntur, non faciuntur, sed maiorem sanctitatem, & copiosiora virtutis opera esuriunt, & sitiunt. At verè beata esuries (inquit magnus contemplator Richardus) quæ esurit solū quod habet, & solū habet, quod esurit.] Si autem non esuris, o religiose, mentis puritatem, si labores, si meritum augmenta non sitis, si iam tamquam emeritis miles imbecillitatem allegas, senium prærendis, & à labore desitis, modicæ, & imperfectæ ostendis charitatis indicium, quæ ad perfectionem vsque progressa lassitudinem nescit, otiositatem ignorat, & quia quotidie magis amat, intolerantiū sitit, & feruentius elaborat.

Septimus fructus perfectionis est, sollicitudo virtutum. Perfectam quippe charitatem matrem prudentissimam similem facimus dilectis filiabus suis pensū operis assignatam, ne otio, & vitiorum labe ex eo procreata, contabescant. Sic prorsus perfectæ charitatis omnium virtutū prudentissima, ac solertissima mater, omnes virtutes à se progenitas ad opus excitat, & ad sanctos labores assumēdos exsuscitat. Optimè enim dixit antiquis Origenes quamlibet virtutem tuam propriam ac peculiarem perfectionē habere,

sed perfectionem generalem, quæ scilicet nos absolute & sine addito perfectos faciat omnī in se virtutum summam, ac perfectionem continere.] Et Augustinus, perfectos existimat, qui legem implent, ad cuius perfectam cōsummatamque custodiā vniuersæ virtutes in vnam curam, opūque cōspirant.] Atque in eandem sententiā Basilius Erenim (inquit) si hominem Dei oportet perfectum esse, sicut scriptū est, prorsus necesse est, vt præceptis is omnibus defungendis efficiatur perfectus in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quando etiam ex diuina lege animal, quod aliqua sui parte accisum & imminutum sit, etiam si sit mundum, Deo ad sacrificium acceptum non est.] Nec non & Richardus de Sancto Victore, perfectionem in plenitudine annorū, & in virili ætate, expressam, ac delineatam existimat, quia videlicet sicut virilis ætas maiores labores sustinet, ita perfectio, nō sola mediocria virtutum opera, sed supremas, & planè heroicas cuiusque virtutis actiones aggreditur, atque sustentat.] Perfectio ergo non est otiosa, nō negligens, sed attentis considerationis oculis omnia occurrentia perlustrat, & occasiones virtutum exercendarum cum ingenti exultatione complectitur, ne ipsam aliquod lucrum spirituale prætereat. Posita inter maiores, & perfectiores dicit, inter æquales fulget, inter minores seipsam humiliat, in laboribus est patiens, in aduersitatibus mansueta, in prosperitate modesta, in affluentia sperata, in seculariū frequentia casta, in conuersatione circumspicua. Vnicuique vt iustitiæ mater, ius suum hilariter tribuit, Deo honorem & amorem, Prælati reuerentiā & obedientiam, fratribus bonum exemplum & edificationem, subditis pietatem, & suauitatem exhibet, vt ex omnibus emolumentū spirituale reportet, ex nullo autem damnū aut detrimentum recipiat. Quod si aliquando occasiones benefaciendi & noua lucra congerendi desicere sibi videatur, non est incuriosa, nō legnis, sed mille inuentiones reperit, mille factas nouitates excogitat, quibus seipsam exerceat, sodales adiuet, & Deo noua obsequia, quasi victimas nouas sacrificet. Nā illi cordi est cōsiliū Ecclesiastici. Da altissimo secundum datū eius, & in bono oculo, id est, liberaliter & libeter, adinventionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.] Et libentissimè præmij repetitionem audit apud Isaiā: Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit.] Non quia solum præmij mercenaria respiciat, sed quia ex præmij magnitudine adinventionibus iustorum promissa, quantum Deo gratiæ sint, sapiens animaduertit: Et voluntati, ac beneplacito Domini se accommodans nouis laboribus continenter inhæret.

Octauus fructus perfectionis est, pulchritudo operum. Cui enim perfectam charitatē comparabimus nisi aurifici sapientissimo, ac peritissimo, qui ex auro dextrocheria, in aures, & monilia, & cætera huiusmodi, ita pulchra & decora componit, vt non solum pauperibus, & plebeis, sed etiam principibus, ac regibus pretiosa & magni valoris appareat. Sic perfectæ charitas ex auro, nimirum ex materia virtutum, bona opera perficit, ita feruida, ita debitum circumstantiis circumdata, & omnibus numeris absoluta, vt non tantum hominibus, qui parum honorum operum defectus considerat, verum Angelis, & Deo ipsi planè grata sint, & omni ex parte bona, pulchra & honesta videantur. Hoc sane est inter perfectos, imperfectosque discrimen, quod illi multoties opera sua bona, aut minus pura intentione sedant, aut tepiditate, & tristitia inficiūt, aut inani gloria, aut aliis

Ignat. in  
epist. 11.  
ad Rom.

Pf. l. 10

Richard.  
gradu  
charit. c.  
2.

Orig. hō  
4. in Io.  
sua.

Aug. in  
Psalm. 32.

Basil. in  
proemio  
ad regul.  
suf. disp. in  
fine.

Richard.  
Cant.  
Abac.

Isai.  
35.

Isai. 3.

*Ista 64.* defectibus maculant, quibus optime illud *Istaia* conuenit. Ec facti sumus, vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatae vniuersae iustitiae nostrae.] Nam istorum bona opera iustitiae sunt, ex eo quod amicorum Dei sunt, & a vera charitate procedunt, & quodammodo immundae sunt, quia nonnullis paruulis maculis, & imperfectionibus inquinantur. Illi scilicet sancti homines & perfecti, bona opera multo puriora, & diuinis oculis gratiora faciunt, quia perfecta charitas eorum vires, & appetitus omnino subijciens, opera in solum Deum purissima intentione dirigit, omnem socordiam, repugnantiam, & distractionem remouet, & reliquis imperfectionibus, quae actionibus nostris sese immiscere solent, exquisitissima cura ac diligentia reicit. *Quare Salomo* in *Prouerbis* dicit, quia lux iustorum, id est, eorum vita, & conuersatio laetificat. Quosnam laetificat? Certè Deum, Angelos, & homines Deum, cui illi purissimum honorem exhibent; Angelos, quorum se discipulos, & imitatores ostendunt; & homines, quos vitae sanctitatem & honorum operum perfectionem docent. Si viri perfecti orent, tanto spiritus feruore, tanta reuerentia, & timore, tanta fiducia, & amore orant, vt non tam homines fragiles quam terrestres quidam Angeli videantur. Si cogente necessitate, aut charitate loquantur, tanta circumspectione, & modestia loquuntur, vt nihil otiosum, nihil molestum, nihil durum audientibus ex ore suo prodire permittant. Si corpus cibo, & potu sustentent, tantam abstinentiam & sobrietatem retinent, tanta distractione appetitum cohibent, vt scientes, ne in modico quidem excedant temperantiae mensuram. Si quid aliud agant, sic agunt, vt bonae ac perfectae actionis circumstantias non deserant. Sunt enim veluti artifices virtutis petitiissimi, & pictores sapientissimi, qui ex suis manibus nullum opus impolitum, aut minus decorum abire concedunt. *Thomas enim Aquinas* explicans, qua ratione Deus omnia bene faciat, his pene verbis nos ad eius imitationem exhortatur. Similiter & nos diligentiam apponere debemus, vt singula opera nostra, quantum vnquam melius possumus, faciamus ex omni virtute Domini Iesu Christi, & cum omni desiderio triumphantis, & militantis Ecclesiae, & sub nomine creatoris, quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & vniuersitatis vtilitas, ex vno opere dependeat, quasi nunquam ad id opus reuersari, neque opus aliud postmodum inceptri. O quotiens concupiuius, & nisi sumus hanc regulam in bonis operibus seruare, & nunquam, peccatis nostris impediuntibus, & socordia nostra se opponente, potuimus, quam tamen non sine admiratione, & laetitia vidimus sapè à viris perfectis seruari, & non verbo tantum, sed opere & veritate custodiri. Hi sunt alij quatuor perfectionis fructus, quibus ipsa laborum ipsius gratia acceptorum, non oblita, hospites suos, & amatores nobilitat.

*D. Thom. opusc. de moribus diuinis, ad finem.*

*De quatuor postremis fructibus perfectionis.*

CAPVT XV.



**V** A T V O R adhuc fructus ligni vitae nobis explicandi supersunt, qui sicut loco superiores sunt, ita dulcedine, & suauitate praestantiores esse noscuntur. Nam sicut in mundo visibili, quo corpora sunt superiora, & magis à centro distantia, eo sunt nobiliora, atque illustriora; adeò

**A** vt inter caenum, & caelum, inter lapides & astra, inter corruptibilia, & incorruptibilia incomparabilis minimi & maximi inueniatur diuersitas, ita in mundo inuisibili, quem tum res à materia secretae, & liberae, quam eorum actus, virtutesque componunt, tanta est nobilitatis & praestantiae differentia, quantum nec mens humana assequi, nec obtusum hominis ingenium valet apprehendere. Postrema ergo series fructuum perfectionis, quia superior est, & occultior, fructus, atque effectus meliores, & excellentiores continet: fxit Deus, vt eos non solum scribere, aut legere, sed multo magis opere implere, & in terriori mentis palato gustare sciamus.

**B** Nonus igitur fructus perfectionis est, sustinentia aduersitatum. Nam perfecta charitas est, sicut gigas robustissimus, qui onera aliis hominibus importabilia expedite vehit, & sine vlla difficultate supportat. Sic perfecta charitas cuius sunt vires giganteae, oneribus magnarum aduersitatum, quae communes iustos premunt, nec tristatur, nec premitur, nec immoderate fatigatur. Haec est enim magnae dilectionis natura, vt aduersa non sentiat, aut etià cum ingenti hilaritate sustineat. *Quare Patriarche Iacob*, magnos & multos labores Rachelis gratia sustentanti, pauci videbatur praemoris magnitudine. Et *Paulus* Christum in vita, & in ore, & in visceribus scriptum habens calamo charitatis, repletur consolatione, & superabundat gaudio in omni tribulatione sua. Quid ergo mirum, si perfecta charitas, quae semper magna est, & infantiam imperfectorum excessit, in tribulationibus laetetur, in aduersitatibus gloriatur, in laboribus exultet, & in mediis tentationum ignibus constituta, secura, constans, immobilisque persistat. *Vox* quidem minus perfectorum est: Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, mendicitatis & diuitiarum nomine, magnam tribulationem, aut magnam prosperitatem meuentes, & vitam quietam, & rebus necessariis suffulcram postulantes. At perfecti sapientius aliter postulant, qui licet prosperitates timeant, & superbiae, ac vanitatis occasiones fugiant, tamen tribulationum propter Christum, amore capti, eas non fugiunt, sed potius ad amoris probationem desiderant, clamantque cum *Psalmodographo*: Proba me Domine, & tenta me, vire renes meos & cor meum. Probari appetunt, viri, & exerceri volunt, vt & charitatis intus latentis capiât experimētum, & magni, atque excellentis amoris praebent indicium. Est enim aduersitas, quae charitatem commouet, & alias virtute incendit, vt bonum odorem spargant, & quam odoriferæ sint, quantumque perfectionis habeant, omnibus innotescat. Ideoque pulchre dixit *Gregorius*: Sicut vnguenta, nisi commota, re. Iolere latius nesciunt; & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, expandunt; ita sancti viri, omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Et statim ad hoc applicas illud Domini: Si habueritis fidem tamquam granum sinapis, subdit. Granum quippe sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoscitur, nam non contritum, lenè est, si verò conteratur, inatdescit, & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic vnus quisque vir sanctus, cum non pulsatur, despicibilis, ac leuis aspicitur: si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem virtutis vertitur, quicquid in illo ante despicibile, infirmumque videbatur, quòdque in se per tranquillitatis tempora libes operauerat, exagitatus tribulationibus, coactus innotescit. Quid ergo mirum si perfecta charitas aduersitatum tolerantiam diligit, imò

*Gen. 29.*

*2. Cor. 7.*

*Prou. 30.*

*psal. 25.*

*Greg. 19. f. m. c. 2.*

*Matt. 17.*

& in tribulationibus letitiam & exultationem habeat, vt ea tamquam signo quodam intra naturam signi certissimo, se iam ad perfectionem venisse cognoscat; Diligit profecto aduersitates, & afflictiones amplectitur, & viros sanctos atque perfectos monet, vt maximorum metitorum materiam, & perfecte virtutis indicium non rejiciant. Quamobrem hi in congregatione positi Prælatorum duritiâ, & equalium detractiones, minorum irrisiones, libenter sustinent, iniurias, & contumelias grato animo excipiunt, & (vt verius dicam) nec iniurias, nec contumelias putant. Nam ita sunt in humilitate radicati, & fundati, vt nulli bonum, neque verbum, neque opus sibi debitum cogitent, & omnia pœnæ & afflictionis mala, à se conmerita existiment. Viliora obsequia sine vlla contradictione obeunt, modestiores functiones iussi suscipiunt, monasteria, aut collegia, omnibus ad vitam iocundam transigendam vacua tacentes habitant, & propter amorem, ac desiderium perfectionis aliorum imperfectiones, & defectus æquanimiter portant. In hoc autem se viros perfectos & sanctos ostendunt, & fructum suauissimum perfectionis edunt, Quia (vt inquit Gregorius) ille verè perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quòd perfectè necdum profecit. Hinc in Euangelio veritas dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras.] Quid est enim, animas possidere, nisi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari.] Perfectio ergo, quæ patiens est, in aduersitatibus, & laboribus tolerantiam habet, & tribulationibus exagitata fratribus se mitem, & blandam ostendit, quia non putat se plenè naturam nostram vicisse, & affectus humanos superasse, nisi & omnia bona agat, & omnia mala ab aliis illata sustineat.

Decimus fructus perfectionis est, collectio interinarum virium. Est namque perfecta charitas vel vt magnes, quæ memoriam, intelligentiam, voluntatem, & cogitationem, ad se potenter trahit, & ab eo in quo ipsa occupatur, scilicet à Deo summè dilecto, minimè auelli separarique permittit. Si enim humanus, aut profanus amor, cum magnus est, ita mundanorum hominum mentes absumit, vt eas extra se ducat, & sui compotes esse non sinat, quid diuinus amor, quid charitas sine vlla mensura potentior & robustior efficiet, nisi perfectorum mentes à rerum labentium miseris extrahere, & in Deum, atque in res diuinas, ac cælestes immittere? Horum memoria Dei recordationibus capta, creata omnia non necessaria detrectat; intelligentia, splendidissima luce perfusa, iugiter mysteria supernaturalia perlustrat; voluntas igne amoris absumpta, res perituras exhorret, & soli Deo, scilicet amato suo affectibus factis adhæret; mundanis rebus frigida, & rebus diuinis accensa. Hi sunt, qui frequenter pacis oscula, & amplexus charitatis excipiunt, iubila experiuntur, excessus mentis patiuntur, quibus non raro dicitur: Bibe amici, & inebriamini charissimi:] quoniâ torrente voluptatis potantur, & melle deliciarum reficiuntur. Ipsi dicant, Venite & audite omnes, qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animabus nostris, ] ipsi explicent dona, quæ receperunt; voluptates, quas gustarunt; loquia, quæ audierunt; nobis enim qui tantum optauimus, & numquã gustauimus, datum non est hoc temerariè dicere, aut verbis imperitis explicare. Aut certè si non audent dicere, ne sanctum dent canibus, & margaritas ante porcos mittant, id est, ne nobis imperfectis, & retum

A Spiritualium ignaris, arcana, quorum cognitione indigni sumus, aperiant, saltem splendorem lucis, nempe puritatem in facie, sicut Moyse, & legis tabulas, nimirum sanctas actiones in manibus, indicia suæ felicitatis ostendant. Hoc ergo præstat mentibus sancta perfectio, eas cogitationibus, & desideriis, & affectibus à rebus mundanis eximit, & in vnum Deum ita colligit, vt ipsum solum cernant, ipsum sitiant, & in ipsum toto virium suarum nisu contendant. Egregie hunc perfectionis effectum Magnus Albertus & verè magnus, qui scientiarum profunditatem tanta sanctitate condidit, in hunc modum exposuit. Quæ ex re est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita Deo vniri, vt tota anima cum omnibus potentiis suis, & viribus in Dominum Deum suum sit collecta, vt vnus fiat spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat, aut intelligat nisi Deum, & omnes affectiones, in amoris gaudio vnitas, in sola Conditoris fruitione suauiter requiescant.] Et paulò post, explicato, quomodo anima Deo similis efficiatur, subdit. Hoc autè numquam plenè fit: nisi cum ratio perfectè iuxta capacitatem suam, illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas; & voluntas perfectè afficitur ad amandam summam bonitatem; & memoria plenè absorbetur, ad intuendum & fruendum æterna felicitate, & ad suauiter & delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione cõsistit gloria beatitudinis, quæ perficitur in patria, liquet quòd istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.] Qui doctè & subtiliter perfectionem in hac potentiarum collectione, seu in hac vnione constituit, quoniam si perfectio (vt supra ex Thoma Aquinate didicimus) posita est in vnione cuiusque rei cum suo vltimo fine: manifestum est, perfectionem nostram esse illam charitatem, ita ardentem & absolutam, quæ vires nostras à caducis rebus dimoueat, & Deo fini nostro adhæreret, suauissima quadam dominatione compellat. Sic enim homo cum sponsa, iam non solum quærit Deum, quod proficentium est, sed inuenit, quem diligit anima sua; & inuentum tenet, nec dimittit, donec æterna benedictione benedicat sibi.] Imò (vt quod verissimum est, dicamus) nunc non dimittit, sed perfectius tenet, & secum indissolubili vinculo felicitatis attingit. Ioannes etiam Cassianus non præteriuit hunc suauissimum arboris vite fructum, ac perfectionis effectum. Explicat quippe, quo pacto illud Saluatoris impleatur (in quo nostra perfectio collocata est) vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint; ] ita scribit. Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit: illaque vnitas, quæ nunc est, Patris cum Filio, & Filij cum Patre, in nostrum fuerit sensum, mentemque transfusa, id est, vt quemadmodum nos ille sinceræ, & puræ, atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua, & inseparabili dilectione iungamur, ita eidem scilicet copulati, vt quicquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit; in illum, inquam, peruenientes, quem prædiximus finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri.] Sic ergo perfecta charitas animas perfectorum, non solum solitariorum, sed omnium sibi subiecit, & in Deum colligit, vt earum vires, atque potètiâs ab omnibus creaturis abstrahat, & solum Deum cogitare, intueri, desiderare, & amare concedat. Et quod mirabilius est, ita hanc virium collectionem efficit, & omnia vana, & inania abiicit,

Greg. 5.  
mor. c. 13.

Luc. 21.

Cant. 2.

Psal. 65.

Albert.  
lib. de ad.  
herendo  
Deo, c. 3.D. Thom.  
2. 2. q.  
184. ar. 1

Cant.

Ioan. 7.

Cassia.  
col. 1. q.  
c. 6.

vt



vt tamen curas necessarias, & piam rerum sibi de-  
mandatarum sollicitudinem non abiciat. Quæ pro-  
fectò sollicitudo, cum mentis collectione, & diuina  
presentia non pugnat. Neque enim viri perfecti sunt  
ad res gerendas inepti, aut ad Ecclesiam iuandam  
minus idonei, quod certè cogitare magna ignorantia  
est, sed eò magis apti & expediti, quò verius & perfe-  
ctius omnipotenti Deo, & omnium bonorum fonti  
iunguntur. Nam quemadmodum Deus seipso beatus,  
& sua semper cõtemplatione salix, in seipso vniuersa  
creata, sine vlla perturbatione videt, & sine vlla dis-  
tractiõne dispositiua isti ad magnâ (supra quam dici  
potest) Dei imitationem admissi, in conspectu eius  
res viles, ad se pertinentes faciunt, negoria tractant,  
& cum ingentii tranquillitate spiritus, aut spiritualem  
animarum salutem, aut res alias necessarias procurant.

Vndecimus fructus perfectionis est, concordia  
voluntatum. Quis enim nos reprehendet, si perfe-  
ctam charitatem, vinculo animæ & corporis simi-  
lem esse dicamus? Vt quemadmodum ratione huius  
nexus, corpus nihil aliud, aut beatus, aut iucundius  
habet, quàm animam completi, ei arctissima vnione  
coniungi, & ab illa regi, ac gubernari; ita voluntas  
nostra perfectæ charitatis causa, nihil aut amabilius,  
aut felicius experitur, quàm diuinæ voluntati subij-  
ci, eiusque regula omnia cogitare, & acta metiri. Ego  
sic cogito, voluntatem Dei esse velut animam, quæ  
corpori vitam, sensum, motum, & pulchritudinem  
tribuit: voluntatem hominis esse sicut corpus, quod  
à beneplacito Dei omne bonum, ac perfectionem  
expectat: perfectam verò charitatem esse nexum, has  
duas vineius voluntates, & ad summam pacem, &  
concordiam redigens; ita scilicet, vt illa iubeat, &  
regat, hæc verò sine vlla contradictione pareat, at-  
que regatur. Hoc ergo vinculo perfectorum volun-  
tas diuinæ voluntati colligata, illud vult, quod Deum  
velle existimat, & illud non vult, quod Deum nolle  
cognoscit: amat, quod ipse amat, odio habet, quod  
ipse odit, & quantum potest, nec latum vnguem à  
Dei imperio & iussione discedit. Nam si Deus illos  
amat, qui iustitiam, & innocentiam sequuntur, per-  
fecta voluntas eisdem amore prosequitur, dicens cum  
Dauid: Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant me-  
cum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministra-  
bat. ] Si Deus illos detestatur, qui virtutem & sancti-  
tatem deserunt, ipsa eos quoque abicit, & abomina-  
biles reputat. Non habitabit (inquit) in medio do-  
mus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua  
non direxit in conspectu oculorum meorum. ] Si Deus  
suarum legum obseruantiam iubet, & earum trans-  
gressionem vetat, dicit ipsa verbo, & facit opere, quod  
in Psalmo scriptum est. Iniquitatem odio habui, &  
abominatus sum, legem autem tuam dilexi. ] Prorsus  
hæc humanæ voluntatis cum diuinæ voluntate con-  
cordia, fructus perfectionis est, quæ Dei similitudi-  
nem quærens, non tam eam in natura, quàm in hoc  
consensu, & vnimitate constituit. Vnde Prosper  
Regienſis Episcopus sapienter ait: Possunt in hac vi-  
ta illi esse perfecti, qui perfectè diligunt Deum. Et illi  
perfectè Deum diligant, qui volendo, quod vult Deus  
& nolendo, quod non vult, nec viliſ peccatis, quibus  
offenditur, acquiescunt: & semper se ad virtutes, quas  
ipse dignatur donare, diligendas, & habendas exten-  
dunt. Hi sunt, qui omnia bona, quæ implere potue-  
runt, ab illo se adiutos, vt possint, veraciter credunt,  
quicquid mali commiserint, vitio suæ voluntatis af-  
tribunt; quicquid boni non potuerint implere, ab il-  
lo vt possint, iugiter petunt; cum potuerint, illi gra-  
tias agunt. Bona eius, quæ fuerint consecuti, etiam  
aliis conferri, socialiter volunt, & vsque in suos ini-

A  
micos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc  
omnes cupiunt esse, quod ipsi sunt. ] Hæc itaque om-  
nimodam, sanctamque concordiam, illi plenè asse-  
quuntur, qui perfectionis compotes facti, Deum se-  
cum commorantem habent, à quo in omnibus, siue  
per internos afflatus, siue per prælatorum iussa, siue  
per sanctæ Ecclesiæ statuta reguntur. Et tamquam  
membra Christi viua, & pulchra, & charitatis perfe-  
ctæ calore fota, capitis vocem modelè quidem & nõ  
arroganter vsurpant. Et non reliquit me solum, quia  
ego quæ placita sunt ei, facio semper. ] Perfectò non  
relinquitur soli, qui Christo capiti, & aliis proximis  
per charitatem perfectam Dei & proximi, adherent.  
Indè autè habent, vt quæ ei placita sunt, faciant sem-  
per. Nam sine ipso, humana imbecillitas non potest  
innocentiam seruare, & vitæ rectitudinem ac sancti-  
tatem retinere. Non est sanè contemendus hic fru-  
ctus, imò cum magna auiditate, & desiderio susci-  
piendus, quò perfectè Deum secum habent, & eius  
fortissimum præsidium accipiunt, vt licet pro inge-  
nita fragilitate nonnumquam leuiter cadant, tamen  
pro benignitate diuina, ei fidelester seruiant, & eius  
beneplacitum opere & intentione perficiant.

B  
Duodecimus fructus perfectionis, isque postre-  
mus est, transformatio in Deum. Nam perfecta cha-  
ritas est quasi transfiguratio, aut transformatio quæ-  
dam, qua vir iustus, atque perfectus, non tam exter-  
nam effigiem, quam interna mentis lineamenta mut-  
tat; & veteris Adæ miserias exuens, noui hominis  
Christi virtutem, sanctitatemque conseruat. Hæc  
transformatio non est in hoc constituta, vt homo  
naturam hominis deserat, & in Deum transforma-  
tus, atque conuersus, Dei naturam, & substantiam ac-  
quirat (quis infans hoc diceret?) Sed in hoc quod  
Dei proprietates, & virtutes imitetur, & ingenita vir-  
tia, ac affectuum immoderantiam derelinquat. Sicut  
enim fluius mare immensum ingressus, fluius esse  
non desinens, maris nonnullam amplitudinem, &  
capacitatem accipit, eoque absorptus, vnde suas an-  
gustias perdidit, maris admirabilem maiestatem ac-  
quisiuit; ita animus viri perfecti Dei maiestate, ac  
puritate beneficio charitatis immersus, diuinas pro-  
prietates redolet, & omnem veteris hominis mali-  
tiam & vitiositatem extinguit. Quem ita Paulus  
in seipso describit, dicens, Christo confixus sum cru-  
ci. Vno ego, iam non ego, viuit verò in me Chri-  
stus. ]

C  
D  
E  
Configitur eruci Christi (inquit Ambrosius)  
qui amulus vestigiorum eius, nulla mundi concu-  
piscencia capitur, vt Deo viuens, mundo mortuus vi-  
deatur. ] Qui enim non agit, quæ mundi sunt, vel  
erroris, mortuus est mundo. Et viuit in eo Christus  
(vt interpretatione prosequatur Chrysostomus) quon-  
iam seipsum Christo Domino, ac cruci præbuerat,  
cunctaque reiecerat temporalia, & ad illius volunta-  
tem faciebat omnia, ideo non dicit: Viuo Christo, sed  
quod longè maius est, viuit in me Christus. ] Viuit  
ergo in perfectis Deus, & illi transformantur in ipsum  
non quia naturam humanam perdant, sed quia simi-  
litudinem quamdã diuinæ sanctitatis induunt, & im-  
munditiam peccatorum abiciunt. O quam aptè, &  
E  
appositè Bernardus hanc perfectorum transformatio-  
nem declarat. Quomodo stilla aquæ modica (ait) multò  
infusa vino, defecere à se tota videtur, dũ & sapore vi-  
ni induit & colore; & quomodo ferrum ignitũ & cã-  
dens igni simillimũ fit, pristina propriatq; forma exu-  
tum; & quomodo solis luce perfusus aer, in eandem  
transformatur luminis charitatem, adeò vt non tam  
illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur; sic  
omnem tunc in sanctis humanam affectionem, mira-  
bili quodã, & ineffabili modo necesse erit à seueri pla-

Ioan. 8.

Galat. 2.

Amb. ibi.

Chrysost.  
Ibid.Bern. lib.  
de diligendo  
Deo.

liquefcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus; si in homine de homine quicquam supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. ] Sic ille de Sanctis vitam beatam agentibus non minus verè, quàm eleganter scripsit, sed quod illi in caelesti patria vique ad facietatem edunt, in hac mortali vita, aliqua ratione degustant, quatenus diuinis perfectionibus veltiuntur. Illa namque cogitationum puritas, affectionum sanctitatis, conscientiae pax, atque serenitas; illa erga proximos charitas, erga inimicos mititas, erga miseros, & afflictos benignitas; illa in prosperis lenitas, in aduersis tolerantia, in rebus agendis tranquillitas; illa nobilis occupatio, qua semper Deum cogitat, Deum in omnibus quærit, Deum cupiunt, Deum amoris stringunt amplexibus; hæc, inquam, omnia, quid sunt, nisi quædam scintilla illius ignis increati, qui perfectos accendit? Quid sunt nisi vestimenta quædam illius æterni regis, qui regalibus iudicamentis dilectissimos filios circumdat? Quid sunt, nisi proprietates, & perfectiones Dei, qui sanctos & electos suos, ad perfectionem euectos in suæ deitatis imaginem, similitudinemque transformat. Et sicut sol in nube, splendore suo, domum & habitationem constituens, eam pulchram, atque splendidam facit, & hæc pulchritudo, manifestum est splendoris solis in ea habitantis indicium; ita Deus in sanctis atque perfectis filio suo, qui splendor est gloriæ, domicilium & mansionem fabricans, eos reddit Christo conformes, & efficit sanctitatis & virtutum Christi participes. Quibus signis, atque indicis, an Christus in viris sanctis atque perfectis sit, non obscure cognoscitur, à quo tamquam ab efficacissimo igne in ipsum transformari; & veluti ignei facti, Dei splendorem, & calorem, & pulchritudinem, & efficacitatem possident, & antiquas tenebras, & pristinum frigus, & deformitatem, & pusillanimitatem ignorant. Et huius fructus causa omnium suauissimi ac perfectissimè omnes alios præcedentes affatim, abundèque participant. Nam si in Deum transfusi sunt, quidni mentis puritatem; rerum temporalium contemptum; appetitum tranquillitatem; sermonis circumspeditionem habeant? Quidni cogitationum munditiam; desideriorum intolerantiam; virtutum sollicitudinem; & operum decorem teneant? Quidni aduersitatum sustentationem; virium internarum collectionem, ac voluntatum concordiam in intimis recessibus sui cordis recondant? Re vera has vniuersas perfectiones adeptæ est anima, quæ in Christum transfigurata, primi parentis affectibus ac vitis valedixit, & secundi Adami ornamenta pretiosa conquisit.

Charitas ergo ad hanc eximiam nobilitatem prouectæ, & tamquam arbor pulcherrima his præstantissimis fructibus onusta, quæ nihil terrenum sapiat, nihil vile querat, nihil virtuti & mentis puritati contrarium admittat, quæ virtutes omnes in animam inuehat, ad omne bonum opus seipsam extendat, amicos & inimicos (vt postea dicemus) diligat, & solum Deum sicut, ac eius intimam vniõnem precibus postulet, gemitibus efflagitet, & ineffabilibus desideris concupiscat, ipsa est perfectio spiritualis vitæ, quam omnes religiosi veluti pretiosum thesaurum in agro religionis absconditum, & quasi inestimabilem margaritam à Christo Salvatore nobis à longè monstratam, volumus relicto sæculo, venditque, ac dilapidatis omnibus coemere, & pretio omnium, quæ aut possidebamus, aut habere poteramus, in nostrum vsum vindicare. Hanc qui in vita

A religiosa positi non quarunt, sed honoribus, & propriis commoditatibus aucupandis intendunt, vilissimi sunt, & tamquam planè insipientes & stulti, omnimodè contemnendi, vel (vt lenius loquar) magna commiseratione deplorandi, qui bona mundi, qualia qualia sunt, perdidit, & bona caeli, quæ sola sunt bona, quorum gratia mundanis bonis se abdicarunt, præ inertia & stultitia sua non receperunt. Qui verò quærit, & votis, ac operibus bonis habere contendunt, veluti sapientes, & suo munere satis facientes ab omnibus honorandi; licè numquam margaritam istam omnino pulchram, & perfectam obtineant, & ad puritatem, ac sanctitatem optatam perueniant, quia certè eximia dignitas est, contemptis rebus secularibus spem & desiderium in perfectione figere, & pro ea consequenda, aut magis, aut minus fortiter laborare. At qui non solum perfectionem quaesierunt, sed etiam tandem sunt assecuti, quicumque illi sint, etiam si idiotæ, etiam si plebei, etiam si nullis naturalibus talentis ornati, sapientissimi, & felicissimi habendi sunt, qui in vitæ spiritualis stadio brauium acceperunt, velocissimè ecurrerunt, & aliis etiam sapientibus, & literatis, & à mundo honoratis post se relictis, summi regis intimam amicitiam, & familiaritatem, & verè statum principum, & magnatum compararunt. Hi tamen semper de seipsis modestè sentiant, alios se libentes submittant, & nunquam se putent ad perfectionem peruenisse, & summam, ac culmen obtinisse virtutis. Quam in sententiam Leo Papa inquit. Hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incident in deficienti periculum, vt proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum tam perfectus & sanctus est, vt perfectior, sanctiorque esse non possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritum, ab his; in quæ peruenimus, in ea quæ nondum apprehendimus; pia auditate curramus, & ad mensuram consuetudinis nostræ necessarij aliquid addamus augmenti. ] Et Augustinus. Hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, vbi in specie decoris eius, iam plena, & perfecta charitas erit nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & seruituti subiiciendo, & elemosinas in dandis beneficis, & dimittendis, quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indefinenter insistendo, & hæc faciendo in doctrina sana, quæ edificatur, fides recta, spes firma, charitas pura. Hæc est nunc nostra iustitia, qua currimus elucentes, & sitientes ad perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, vt ea postea saturemur. ] Atque a hoc loco breuius. Ac per hæc, quantum mihi videtur in ea, quæ perficienda est iustitia multum in hac vita ille profecit; qui quàm longè sit, à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit. ] Hæc illi, & optimè. Nam pia humilitas est, quæ incipientes ad augmenta virtutis effert; proficientes in perfectionem inuehit; & perfectos, & sanctos in adæpta perfectione, ac mentis puritate custodit.

Leo. ser. 2.  
quad. c. 2.

Aug. libr.  
de perfe.  
iustitia,  
cap. 8.

Aug. lib.  
de spiritu  
et lit. ca.  
36.

Perfectionem vitæ spiritualis, ad Deum relatum illo præcepto contineri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, &c.

CAP. XVI.



VITA de vitæ spiritualis perfectione diximus; qua iustus, ut respicit Deum, perfectus nuncupatur; & multo plura & secretiora dicemus, si tanta esset nostra solertia, ut Christi Salvatoris nostri verbum inveniret, quo perfectionem, aut consilio suavit, aut præcepto, & iussione mandavit: Quapropter istud verbum diligenter inquiramus. Nec credendum est magistrum sapientissimum, imò & ipsam sapientiam incretam, quæ opere, & doctrina tot vias perfectionis assequendæ monstravit, ipsiusmet perfectionis oblitam, aut eam silentio præterisse, aut nullo suæ doctrinæ verbo declarasse. Nam si in hunc hominum & Angelorum magistrum, quin & solum magistrum, quoniam scriptum est: Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, nullum vitium, nulla culpa, nulla ignorantia cadit; quo pacto de eo cogitandum est, quod doctori alicuius viæ magno vitio verteremus, viam scilicet ipsam ostendisse, finem verò, quò eundem esset, minimè propalasse. Inuestigemus ergo verbum quo Dominus perfectionem vitæ spiritualis, scopum & finem, aut præcepit, aut consuluit, certi, quod illud sumus inter sermones tanti doctoris reperiri. Puto sanè perfectionem illis Domini verbis esse contentam, quæ habentur apud Matthæum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Quibus Lucas addidit, Et ex omnibus viribus tuis. Marcus autem, Et ex tota virtute tua. Et in Deuteronomio adhuc adiectum est: Ex omni fortitudine tua: ut sex modis Dominum à nobis diligendum sciamus, in quorum obseruatione tota vitæ Christianæ perfectio sita est, ac consistat. Videamus igitur quo pacto perfectio nostra his verbis Salvatoris nostri contineatur: Deinde cum ipsa verba præceptum sonent, qua ratione perfectio in præcepto posita sit: postmodò, quæ pars ipsius tantum sit in consilio, quam perfectio nos præcipuè in hac tractatione querimus, ut sic timoratas conscientias scrupulorum molestis eximamus.

Matth. 23.

Matth. 22.

Luc. 10. Mar. 1. 21 Dent. 6.

Matth. 22.

Orig. h. v. 23. in Matt.

Matth. 5.

Principiò, Dominum hoc mandato perfectionem ipsam, & totius vitæ spiritualis finem exposuisse, docent aperte verba, quæ post eius lationem ac promulgationem subduntur: Hoc est maximum, & primum mandatum. Quæ sententia docemur (ut annotauit Origenes) mandatorum sacra Scriptura, quoddam esse magnitudine, & ordine primum, quoddam esse magnitudine & ordine secundum; aliud verò magnitudine & ordine tertium; & sic deinceps, quousque ad mandatum minimum perueniamus. Esse namque aliqua mandata minima, aut alia minora ipse legislator testatus est, dicens: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum. Mandatum ergo charitatis Dei, primum & maximum est.

A Primum, non quidem ordine Scripturæ, quia alia priùs in sacris paginis feruntur mandata; sed primum dignitate virtutis; quoniam rem dignissimam præcipit, nimirum vitæ nostræ perfectionem, quam in nostri cursus initio præ oculis habemus, ut ad eam tota mentis auiditate curramus. Maximum etiam est, quia virtutem maximam præcipit, & omnium præstantissimam, ad quam reliquæ omnes virtutes referuntur, & ad eam, aut assequendam, aut promouendam, aut in suâ pulchritudine conseruandam ordinantur. In quam sententiam Thomas Aquinas ait: Dei charitatem magnum esse mandatum, nam lege naturali iustum est, in visceribus nostris impressum, quæ nullo docente proclamant eum esse diligendum quem auctorem vitæ, & omnium bonorum veneramur, & finem omnium esse cognoscimus. Et maius esse mandatum, quia lege scripta reperitur, à Deo data, ac per Angelos ordinata, cuius in Deuteronomio vox est: Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum. Et maximum quoque esse mandatum, quia nouissimè in lege perfectissima, scilicet Euangelica, promulgatum, in qua ei nomen maximi, ac præstantissimi datum, ac tributum est. Est etiam primum mandatum, primò quidem in intentione Dei iubentis, qui sui amore præcipit tamquam finem, ad quem omnia alia præcepta, & vniuersæ virtutum actiones diriguntur. Quod significat Paulus, dicens: Finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et regius vates cum ait: Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Quod mandatum latissimum charitatis præceptum esse docet Augustinus in hæc verba. Latum mandatum non intelligo, nisi charitatem. Et infra. Latum est mandatum charitatis nimis, mandatum illud geminum, quo iubetur Deus & proximus diligi. Quid autem latius, quam ut ibi pendeat tota lex, & omnes Prophetæ? Deinde primum est in necessitate obseruationis, quia sine Dei dilectione, nec homo Dei similitudinem habet, nec ita ut proximè ad vitam æternam sibi proficiat, alias leges & mandata custodit. Tandem est hoc primum mandatum in ordine dignitatis, quia dignissimam virtutem continet, & dignissimam eius actionem iubet, à qua supremus ordo supreme Hierarchiæ Seraphinorum vocatur, ab amoris nempe ardore, quo Deum diligunt, & dilectionis igne, quo spiritualiter succenduntur. Quare ergo hoc primum ac maximum mandatum vocatum est, nisi quia vitæ spiritualis perfectionem comprehendit, quæ prima est, & maxima omnium virtutum, prima, quia finis reliquarum, in quam tendunt; & maxima, quia per se vniuersis nobilior, Angelis & iustis charior, & Deo ipsi sine vlla nota dubitationis acceptior.

Nec minus perspicuè hanc veritatem insinuant verba, quæ post editionem secundi mandati de proximi dilectione subduntur. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Quid namque est vniuersa lex, & omnia mandata ex his duobus præceptis pendere, nisi ab illis, tamquam ex principiis & fontibus exoriti, & ad illa optima ratione complenda tamquam ad scopum & finem ordinari? Quod si charitas Dei, & proximi his duobus mandata præceptis, principium, & finis vniuersæ legis est, relinquatur, eam (quæ scilicet hæc præcipitur) ab ipsa spiritualis vitæ perfectione non secerim; quæ ut principium, & primus motor ad legis obseruationem instigat, & ut scopus, & finis ipsam legis custodiam perficit, atque consummat. Sed quo pacto charitas perfecta his

D. Thom. opusc. de dilectio. Deic. 1.

Deut. 6.

1. Tim. 2.

Psal. 118.

Aug. ser. 2. ad Gal. 118.

Matth. 22.

Cyprian.  
li. de opa-  
ribus dar.  
Christi. xi.  
de baptis.

duobus mandatis comprehensa principium & finis legis, & prophetarum sit, ex verbis Cypriani discamus. Verè (inquit) hoc mandatum legem completur, & Prophetas, & in hoc verbo, omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat auctoritas, hoc ex ore tuo audiimus, hinc inuenit consummationem omnis religio, primum est hoc mandatum, & vltimum, hoc in libro vite conscriptum, in deficientem in hominibus & Angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio & inuenit ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc reuerti, quicquid Ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse, & stiuolum: quicquid dilectio non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit, nec diligit te, qui te scienter offendit. Dilectioni tuæ detrahit, qui terminos à te positos tranfit, & Euangelij tui decreta transgreditur, & contemnit. Non amat te, qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo simul deseruit. Non pertinent ad te speciem pietatis habentes, & negantes virtutem; nec militant tibi negotiorum huius sæculi traictores. Non audiunt te, sed sicut aspis, aures suas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato fertiunt, & voluptatum carnalium amatores. In eandem sententiam Augustinus ait. Sed Dominus, qui verbum consummans & breuians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem, prophetasque pendere, vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & diliges proximum tuum tamquam teipsum. Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere ad hoc prohibemur, & iubemur, vt duo ista compleamus. Nulla profectò alia ratione potest omnis lex ab hoc duplici præcepto manare & in ipsum dirigi, nisi quia geminum præceptum hoc nostram perfectionem complectitur, quam legum, & mandatorum omnium obseruatione concurimus, & à qua ad eorundem mandatorum obseruationem, ac custodiam per-mouemur.

Ab ista charitatis perfectione sublimiori quodammodo omnis lex, & omnes Prophetæ dependent, quia eam assequentes non solum ad legis custodiam incitantur: verum etiam interdum illuminantur, vt sapida quadam cognitione omnes leges diuinas, & vniuersos Prophetas intelligant. Quis enim sanctos Patres & Doctores edocuit, vt diuinam Scripturam verè intelligerent, & aptè, ac dilucidè interpretarentur? An labor improbus? An vigilia? An assidua lectio? An incerta meditatio? Non quidem hæc sola, sed præcipuè modesta charitas definitionibus Ecclesiæ subiecta; quæ tamquam sponsa legislatoris Dei, & magistris prophetarum, eius arcana lege præscripta & sermonibus prophetarum inuoluta, caller, & tamquam experta decorem & pulchritudinem sponsi sui, eam verbis, licet obscuris delineatam facillè intelligit. Hæc est quæ multos viros sanctissimos literarum prorsus imperitos, & mulieres, vt Catharinam Senensem, Brigittam, Hildegardem, & alias similes erudit: vt verba Dei mente perciperent, & multò melius, quàm Doctores, charitatis ieiuni, & spiritu superbi inflati callerent; quia Scripturæ sacræ clauem non habet arrogantia superba, sed intima erga Deum & proximum charitas sanctæ matris Ecclesiæ doctrinis & monitionibus assueta. Quamobrem non prorsus extra rem locutus est Origenes, cum scripsit

Aug. lib.  
de perfe-  
ctio. in-  
finita. cap. 5.  
tom. 9.

Mat. 22.

etiam, quoad cognitionem, legem, & prophetas à charitate pendere. Qui omnia adimpleuit (ait) quæ scripta sunt de Dei dilectione. & proximi, dignus est maximas gratias à Deo percipere, quibus præpositus est sapientiæ sermo per Spiritum sanctum, per quem sermo scientiæ, qui secundum spiritum est. Dignus autem constitutus his omnibus donis exultat in sapientia Dei, plenum habens cor Dei dilectione, & totam animam lumine scientiæ illustratam, & totam mentem verbo Dei. Consecutus autem eiusmodi dona ex Deo, profectò intelliget omnè legem, & prophetas partem aliquam esse ex omni sapientia & scientia Dei, & intelligit omnem legem & prophetas pendere, & adharere à principio dilectionis Domini Dei, & proximi. Si ergo diuinæ legis cognitio, quæ in opus procedat, & Ecclesiam fulciat, atque sustentet, nonnumquam perfectioni in arrham celestis præmij datur. Nam filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Et è contrario excelsa, hoc est, inaccessa stulto sapientia, quis dubitet, præceptum illud, cuius perfectæ custodiæ sapientia, & legis diuinæ cognitio tribuitur, ipsam vitæ nostræ perfectionem continere?

Sed re vera, licet Dominus hoc charitatis præceptum maximum non vocasset, neque ab eo omnem legem pendere dixisset, adhuc ipse modus promulgandi, ac præcipiendi, quem tenuit, eo omnem perfectionem Christianæ vitæ contineri, satis abundè declarasset. Nam, vt Thomas Aquinas sapienter annotauit, Christus Saluator noster non iussit nobis aliquam charitatis mensuram, verbi gratia, minimam, aut mediocrem, sed omnem charitatem, & omnem modum, ac vniuersam perfectionem, ac sublimitatem eius præcepit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua; & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni virtute tua. Quæ enim maior perfectio amoris à nobis, aut exigi, aut excogitari potest, quàm vt totum cor, tota anima: totus spiritus noster Deum diligit, & omnes vires, ac vniuersa virtus nostra in Deum suum tantum intendat? Merito autem charitas erga Deum sine vlla mensura præcepta est, quia & finis est omnium aliorum præceptorum, vt palam testatur est Paulus: Finis præcepti est charitas: & quia ipsa, vt habet respectum ad Deum, vinculum est, ac veluti extremum medium, aut præsidium, quo fini nostro coniungimur: Nam, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ex ea parte, quæ est præceptorum finis nullam mensuram debuit admittere. Quoniam sicut omnes artifices medijs quidem limitem ponunt, sed finem suæ artis sine villo limite concupiscunt, quod in Medico videre est, qui sanguinem moderatè dimittit, & potionis certam quantitatem sumendam esse præscribit, at sanitatem, finem scilicet medicæ artis non cum aliquo termino, aut limite, sed omnem possibilem concupiscit: ita spiritualis animarum medicus à nobis certam ieiuniorum, orationis, eleemosynarum, & aliarum virtutum mensuram exigat, quæ (vniuersa philosophia attestante) in medio consistunt, sed perfectionis, ad quam omnes virtutes tamquam ad finem tendunt, nullam certam mensuram. Sed omnem perfectionem, omnem charitatem, & omnem modum charitatis requirit. Ex ea verò parte, quæ est vinculum nos Deo coniungens, atque deuinciens, nullum etiam modum, nullum terminum habet, quia quantumcumque Deum diligamus, numquam satis est, numquam desiderium nostrum rationi consonum dicit, sufficit, numquam ipsa charitas impellens, & vrgens nos, dicit, sufficit, numquam Deus ipse à nobis dilectus dicit, sufficit, sed semper quamdiu hæc vita durat, vult am-

Orig. lib.  
23. in  
Matth.

Eccles. 3.

Prov. 24.

D. Thom.  
2. 2. q.  
194. ar. 1.

Mat. 22.

Luc. 10.

Mar. 12.

1. ad Ti.  
1.

1. Ioan. 4.

Bern. de diligendo Deo. Aug. lib. de moribus Eccl. c. 8. r. 1.

Rom. 8.

Iacob. 1.

plius diligi, & feruentius amari. In quam sententiam Bernardus verissime ait, modum charitatis esse, sine modo diligere. ] Et Augustinus cum Deo miscens dulcia colloquia, ita ait. Dic mihi etiam, quæ te Domine, quis sit diligendi modus: Vereor enim, ne plus minutve, quam oportet, inflammer desiderio, & amore Domini mei. Ex toto (inquit) corde tuo. ] Non est satis. Ex tota anima tua; ] ne id quidem satis est. Ex tota mente tua. ] Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem, quid posset esse amplius. ] Et statim. Dicat etiam Paulus ipse dilectionis modum. Quis ergo (inquit) nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius: ] Audiuius quid diligere, & quantum diligere debeamus: eò est enim omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa Deus nobis est, Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quarendum: alterum enim periculosum; alterum nullum est. ] Si ergo mandatum hoc nullam præcipit charitatis mensuram, sed omnem possibilem charitatem iubet, clarum euidensque relinquitur, ipsum nõ charitatem, incipientem tantum, aut proficientem præcipere, sed charitatem perfectam, absolutam quemadmodum dare. Illam profectò mandat, quæ possessores non solum cõmunes ciues, sed in curia Christi nobiles, etiam, & illustres constituit; illam, quæ velut perfecta salus; omnes affectus, & vires nostras sanat; illam quæ instar arboris vitæ duodecim pulcherrimos fructus, supra commemoratos, emittit. Quæ animam perfectè mandat, temporalia contemnit, appetitus moderatur, sermones regit, cogitationes purificat, desideria succendit, virtutes sollicitat, opera venustat, aduersitates sustinet, vires colligit, voluntates colligat, & sanctos in Deum mirifico modo transformat. Hæc autem charitas summa, hoc primo, & maximo mandato contenta, est (vt diximus) tota spiritualis vitæ perfectio.

Sed si Deus perfectionem ipsam tanta asseueratione præcipit, quid erit nobis miseris, qui perfectionem non assequimur, nec Deum nostrum omni mentis conatu diligimus? Quomodo æternam salutem consequemur, qui aliquid Dei præceptum, imò & maximum præceptum non custodimus? Cuius transgressione omnium mandatorum, & vniuersæ legis transgressores efficiuntur, dicente Scriptura. Quicumque totam legem seruaerit, offendet autem in vno, factus est omnium reus. ] Re vera Dominus in hoc præcepto perfectionem charitatis iussit, vt sufficienter ostendimus, cum quo tamen fixum, ac immobile stat, quod hac perfecta charitate, atque omnimoda dilectione carens, si aliquam veram charitatem, licet minimam habeat, non sit huius præcepti transgressor. In hoc enim maximo, ac primo mandato; duo sunt consideranda; alterum, quod mandatum est; alterum quod primum, & maximum est. Ex eo quod est mandatum quoddam affirmans, (vt scholæ more loquamur) aliquod opus faciendum nobis proponit; ex eo verò quod est primum & maximum, ad aliquem finem nobis aliquando perueniendum esse præscribit. Opus à nobis faciendum est, dilectio Dei, ea scilicet, qua nihil ei creatum præponamus, & ipsius voluntatem præceptis ostensam seruemus: finis à nobis tandem consequendus, est perfecta & consummata dilectio Dei, qua perfecti, & sancti constituiuntur; ea nimirum, quæ Deum omni mentis conatu diligit, vniuersa terrena impediencia seruoere charitatis abiecit, omnia consilia custodit. Qui ergo opus præceptum exequitur, licet in hac vita nunquam ad

A finem præcepti, nempe ad perfectam charitatem perueniat; nequaquam hoc mandatum transgreditur, quia quantulumcumque charitatem conferuet, salutem in futura vita ad perfectum amorè, atque ad eò ad perfectionem perueniet. Qui autem vires exerens, & magna industria, ac diligentissimo conatu laborans, in hac vita perfectionem assequitur, & finem, ac terminum vitæ spiritualis tenet, hic ultra præceptum facit, & fidelis Domino maximum consilium custodit, non quia ultra illud, quod sibi præceptum erat; fecit (omnis enim amor, & omnis motus amoris præceptus est) sed quia citius & celerius quam sibi præceptum erat, fecit, ex qua industria, ac celeritate ingentem laudationem apud Angelos Dei, & apud ipsum Deum magnam præmium, ac mercedem reportabit. Sed vnde constat perfectionem charitatis non præcipi, vt opus modò faciendum, sed vt finem tantum aut in presentia, aut in futura vita consequendum: Certè id perspicuis verbis docuit Augustinus. Cur (inquit) non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, vt cõprehendamus. ] Omnes enim, qui rectè currunt, comprehendunt, Non sicut in agone theatro; Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando: Curramus corpus castigando, & elemosynas in dandis bonis, multisque dignoscendis, hilariter, & ex corde faciendo, & eurrentium vires: vt adiuuentur, orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ab plenitudine charitatis. ] Sic Augustinus docet, & ipsa summa misericordia Dei, quæ omnes homines, non ad summam iustitiam (sic enim paucissimi saluantur) sed ad aliquam iustitiam adegit, & non solis perfectis, & sanctis, sed etiam peccatoribus conuersis, & sua peccata desistentibus domus suæ felicitatè preparauit. Docet & inuestigabilis miseria hominis, qui profectò desperaret, & curam salutis æternæ deponeret, si citra summam iustitiam & perfectionem inuentus nõ esset suorum laborum, & bonorum operum præmium recepturus, sed ob defectu perfectionis æternas penas incururus. Docet & optima cælestis reipublicæ constitutio; ad cuius pulchritudinem pertinet, vt in ea sit diuersitas meritorum, & non tantum magnis iustis, sed etiam mediocribus, & paruulis portæ æternales recludantur. Vnde Ioannes ait: Aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis; timentibus nomen tuum, pusillis & magnis. Docent denique & merita Christi Iesu, cuius amoris, ac passionibus tribuendam erat, vt non solum eius maiores fratres, id est, viri sancti & perfecti, sed etiã minores, & minimi, hoc est, pusilli iusti sanguine eius rubricati, in æternas sedes admitterentur. Illud igitur in hoc mandato omnibus in communi præcipitur, quod omnes facillè præstare possunt, illud verò summum atque perfectum, tantam finis ostenditur, quem finem vniuersi prædestinati sine dubio in celo consequentur, & in quem (eo modo quo statim explicabimus) si voluerint, & seiplos Dei gratia incitauerint, hanc etiam vitam agentes, poterunt peruenire. Et hæc Domine Deus meus est consolatio mea; lachrymas meas abstergens, & tristitiam meam leniens, cum me iam ætate virum, & spiritu, plusquam excogitari potest, pusillum inuenio, quod non solis Sanctis, atque perfectis cælestis patriæ aditus apertus est, sed etiam imperfectis, imbecillibus, & corde compunctis, ingressus æternæ vitæ patefecit.

Aug. lib. contra Celestiu c. 8. fine.

1. Cor. 9.

Apoc. 1.1.

Ne tamen, quod dictum est (in hoc præcepto aliquid ut opus, & aliquid ut finem esse mandatum) aliquid cui difficile, aut obscurum appareat, manifesto simili explicemus. Cogitandum enim est regem, viro nobili in his extremis regionibus orto, in cuius commoranti præcepisse, ut statim patriam solum relinquat, & in Hispaniam, à qua oriundus est, veniat, & oculis regis se præsentet. Duo quidem non parum diuersa hoc præceptum inuoluit. Alterum est ipsum iter longum, ac permolestum, & multis periculis terræ, & maris expositum; alterum ipsa peruentio, quam nobilis hic in Hispaniam appulsus, curiam regiam ingreditur, & regem, ac magnates alloquitur. Illud opus à rege mandatum est, ad quod nobilis statim debet accingi, ita ut si è vestigio necessaria ad iter faciendum non præparet, & vxorem, filios, cognatos, familiam, amicos, & patriam non relinquat, & se non tradat itineri, & postea navigationi difficili, culpæ obnoxius habeatur: Istud verò, scilicet, peruentus in Hispaniam finis est, quem longo itinere, & navigatione difficili post vnum annum, aut duos obtinebit. Quod si antequam in Hispaniam veniat iter agens, in hospitio, aut vrbe aliqua, aut in mari Oceano extremum diem claudat, certe non inobediens, non præcepti transgressor, sed obediens, & fidelis regi, licet minus felix reputabitur. At si vir hic nobilis, simul atque præceptum regis audit, sciens alas Dædaleas conficere, eas in suum vsum ad celerius parandum fabricaret, & paucis horis sine vilo periculo, sine vlla molestia, in curiam regis euolaret, & se Principi offerret, certe hæc inaudita, atque inuitata celeritas, vltra præceptum sibi impositum esset, quantum magnam suæ obedientiæ, & amoris erga regem significationem daret, tum ingens præmium ab ipso, & à magnatibus, magnam gloriam, & laudationem obtineret. Facile est hoc simile proposito nostro accommodare. Nam iubens Deus, ut in eum charitate tendamus, & ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligamus, duo videtur diuersa præcipere; vnum eorum est amor, habens se ad modum itineris quo in finem nostrum, scilicet in Deum ipsum proficiscimur, alterum est omnis amor, aut perfectus amor, qui est totius nostræ vitæ perfectio, habens se ad modum finis, ad quem sumus per actus amoris, & per effectus charitatis, qui non sunt aliud quam bona opera, aliquando peruenturi. Qui ergo mandatum illud aure mentis excipiens Deum amat, & ex amore eius leges, præceptaque custodit, & ab omni peccato se subtrahit, implens illud: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis; hic obediens est & fidelis seruus, & non præcepti transgressor, quamuis inuitabili morte impeditus, numquam ad supremam charitatem, & ad perfectionem accedat. Quinimo erit viro illo nobili sine vlla comparatione felicior, quia ille in itinere mortem obiens, numquam in curiam regis appelleret, necius conspectum & alloquium excipiet, hic verò post mortem, perfectionem charitatis, & Dei aspectum consequetur, ad quem bona vita, licet minus perfecta, tendebat. At si iste, nequaquam communitatione iter agendi contentus, assumat consiliorum pennas ut aquila, & vilia mundi posthabeat, & omnia humana transcendat, & in curiam regis summi, scilicet in sanctam amoris perfectionem, breui temporis spatio contendat, hic sane vltra præceptum facit, & in hoc, consilium custodit, non quia plusquam præceptum est, faciat, sed quia solertius, diligentius, & velocius ad destinatum finem, & ad brauium supernæ vocationis, quam sibi præceptum est, veniat; cuius diligentia, atque feruoris, non commune præmium, sed cumu-

latissimam mercedem accipet. At Augustinus supra dixit, neminem in hac vita posse perfectionem istam amoris habere; quomodo nos audeamus dicere, aliquos iustos consiliorum pennis ad eam vsque peruenire posse: Et consentit Bernardus. Ego puto (inquit) non ante sanè perfectè impletum iri. Diliges Dominum. Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, ] quousque ipsum cor cogitare iam non cogatur de corpore, & anima, eidem in hoc statu viuificando, & sensuificando intendere desinat, & virtus eiusdem reuoluta molestiis, in Dei potentia roberetur. Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum colligere, & diuino infigere vultu, quamdiu ea huic fragili & aruinoso corpori intenta, & distenta, necesse est subseruire. Itaque in corpore spirituali & immortalis, in corpore integro, placido, placidoque, & per omnia subiecto spiritui, speret se anima quartam apprehendere amoris gradum, vel potius in ipso apprehendi, quippe quod Dei potentia est dare cui vult, non humana industrie assequi. Tunc, inquam, summum obtinebit facili gradum cum in gaudium Domini sui promptissime, & audissimè festinantem, nulla iam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit. ] Sed hoc verum est, & quod diximus etiam verum est, si diuersos perfectionis gradus distinguamus. Est enim quedam perfectio, & quidam amor Dei ex toto corde, quem soli beati possident, & est quedam perfectio, & quidam amor Dei ex toto corde, huius vitæ miseris interruptus, ad quem iusti nondum sacro mortalitatis exuti, post multos labores admittuntur: Quod Thomas Aquinas explicuit, dicens. Hoc præceptum in patria quidem impleri perfectè, cum homo perfectam Dei vniionem assequatur, in hac vita verò impleri imperfectè, cum carnis pondere prægrauatus, non potest non à purissima contemplatione distrahi, & ab actuali amore cessare. Quæ tamè præcepti charitatis impletio ad eum solet in hac vita promoueri, & omne malum abijcere, bonumque sectari, ut licet cum amore celestis patriæ collata imperfecta sit, tamen in hoc mortali corpore, non tantum initium, aut profectus charitatis, sed etiam perfectio reputetur. ]

Sed nemo erit, qui non aueat scire quid hoc præceptum tamquam opus iubeat, sine quo non est aditus ad æternam salutem, quid etiam ut finem, ac perfectionem nostram præcipiat, quam si in fine vitæ nondum fuerimus assecuti, non propterea à supernis sedibus excludemur? Ad quam interrogationem breuiter respondere non piget. Hoc namque præceptum, quoad internum quidem erga Deum amoris affectum, quo scilicet volumus sua bona Deo, & ei per omnia placere statuimus, iuber, ut Deum diligamus, quoties tenetur grauius peccata relinquere, & ad Dei amicitiam redire. Cum etiam grauissimis tentationibus impugnamur, quas non possumus aliter vincere, & nisi per actum charitatis superare. Cum etiam iudicamus nos sine actuali Dei amore esse casuros, & aliquod graue crimen incursuros. Ac tandem aliquando, intra quemlibet annum, & cum graue periculum imminet, aut ipse instat mortis articulus. Quæ omnia Scholasticis Theologis exquisitiis tractanda relinquimus. Quoad externas autem actiones præcipit mandatum hoc, ut nihil Deo præponamus, ut mandata eius, siue per seipsum, siue per Ecclesiam, siue per Prælatos lata, custodiamus, & diuinum honorem, & reuerentiam tueamur. Quod Chrysostomus his verbis expressit. Quid est diligere Deum ex toto corde, id est ut cor tuum non sit inclinatum ad vilius rei dilectionem, amplius

Berna. de diligendo Deo. Luc. 10.

D. Thom. 2. 2. qu. 44. ar. 6.

Chrys. in imperfecto super Matt. 6. 42.

quam

quàm ad Dei, nec delecteris in aliqua specie mundi, amplius quàm in Deo: Non in honoribus, non in auro, non in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus, aut mancipiis, non in ornamentis, aut vestibus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis; sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames.] Qui & exemplo castæ mulieris manifestat, virum suum præ omnibus diligentis, & sapienterem, fortiorerem, ac pulchriorem omnibus hominibus reputantis. Istud huius præcepti opus est, quod implens, amicus est Dei, & toto corde, & tota anima quodammodo diligit quatenus nihil amoris Dei, & diuinis iussis anteposit. At finis est ipsa perfectio, vt scilicet prout humana imbecillitas fert, Deum semper cogitemus, iugiter sitiamus, & frequentissimis amoris affectibus ei adhareamus; vt ex hoc amore omnia terrena contemnamus, nos ipsos, & omnia vitia vincamus, vniuersas virtutes habere curemus, & non solum propter Deum, quidquid debemus, sed quidquid superna gratia adiuti possumus, faciamus, & ad omnem sanctitatis gradum, quo caremus, nos magnis conatibus extendamus. Quam perfectionem Deus à nobis, vt finem, & scopum vitæ spiritualis exigit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis & ex omni virtute tua, & ex omni fortitudine tua.] Propter hanc assequendam mundum reliquimus, parentes, fratres, cognatos, & amicos abnegauimus, honores, diuitias, & voluptates contempsimus, & in vita religiosa positi gemimus, affligimur, & laboramus. Videndum est ergo quo pacto Dominus his sex dulcissimis verbis, & super omnes thesauros amplectendis, naturam nobis perfectionis aperit, & cumulatiuè exposuerit, vt eam magis cognitam, auidius inquiramus, feruentius postulemus, & libentius amplectamur.

*Quomodo perfectio exponatur illis verbis,  
Diliges Dominum Deum tuum ex  
toto corde tuo.*

## CAPVT XVII.

**A**NC non semel contemplati sumus inter sapientem insipientemque distantiam, quod hic multis verbis, & longis sermonum ambagibus, nihil consideratione dignum proponit, ille verò contra facta verborum serie magnas sententias comprehendit. Cuius discriminis causam assignare, non erit difficile. Quia enim insipiens rem explicandam non intelligit, opus habet longo verborum circuitu, cum vt suam insipientiam contegat, tum vt varias (quas fecit) de proposita re, & minus proprias conceptiones aperiat. At sapiens, qui rei naturam, & proprietates probe cognouit, prolixo sermones reicit, ne se ipsum iactare videatur, & vnicuique, aut certè paucis verbis ad rem explicandam inuenit, & quasi ex ipsa natis, quod mente concepit, aptè distinctèque declarat. Neque istud sapientum & insipientum discrimen Salomon silentio præterit, imò manifestissima sententia proplauit, dicens: In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.] Nam si prudentia sapientibus, & peccatum sapientissimè stultis adscribitur, quid erit verborum moderationi prudentiam & multiloquio peccatum tribuere; nisi illam cordi sapientis, & hoc garrulis insipienti-

**A**bus assignare. Quod si sapiens paucis verbis multa dicit, & quò sapientior est, eò breui sermone plura complectitur, quid se ipsa sapientia à Patre genita, qui est Christus Redemptor noster, sentiendum est, nisi quòd vnicuique verbo tanta perstringat, vt ea neque lingua carnis valeat exprimerè, neque mens creata, aut Angelica, aut humana cogitare? Ita sanè est: Nam his verbis breuissimis, ex toto corde, ex tota anima ex tota mente, ex omnibus viribus, ex omni virtute, ex omni fortitudine, ] amplissimè, & penè infinitè perfectionis artem significat, imò (quod amplius est, & præstantius) in qualibet istarum voce, omnè sanctitatem, ac perfectionem comprehendit. Quamobrem vnicuique istarum vocum illud optime competit: Verbum consummans & abbrevians in æquitate quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.] Quid enim breuius hæc voce: Diliges ex toto corde; Diliges ex tota anima? Sed hæc vox executioni mandata, ó bone Deus, quanta, & quàm stupenda parat, quanta, & quàm mirabilia complectitur! Ipsa est, quæ consummat, hoc est, perficit humanam mentem, & in fastigium sanctitatis exollit. Ipsa est, quæ abbreviat, in vno charitatis præcepto, quæcumque scripta lex innumeris præceptis instituerat. Ipsa est, quæ abbreviat in æquitate: quoniam æquum erat & iustum, imò bonum erat indebitum, ac misericordie plenum, vt qui antea plurima esse mandata causabamur, quorum iugum nec nos, nec patres nostri portare potuimus, ] omnibus in vnum mutatis, nullam excusationem haberemus. Ipsa denique est verbum breuiatum, quod fecit Dominus super terram; omnia quæ perfectio docet, aut exigit, amando complet & perficit, & Dei, & proximi dilectione consummat. Merito ergo hoc verbum doctoris, imò & saluatoris nostri Iesu, Augustinus thesauro simul, & margaritæ comparauit: Quod instar thesauri continet omnia perfectionis præcepta, & consilia, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli: & instar margaritæ in agro sancti Euangelij reconditæ, omnia alia mandata & vniuersa consilia, vnica charitatis lege concludit. Hanc nos margaritam inquiramus, tam pulchram, tam splendidam, tam pretiosam, quæ in altera libræ lance posita, omnia alia mandata, aut æquat, aut deprimat. Si pignus sumus ad perscrutandum omnium mandatorum thesaurum, saltem diuini amoris margaritam perscrutemur, in qua citra vllam dubitationem omnia alia contenta reperiemus. Si multa verba, aut legere, aut considerare non possumus, at breue Christi verbum meditemur, quo dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, aut ex tota anima tua ] & in eo omnem perfectionem spiritualis vitæ, omnè nostræ mentis puritatem delineatam, & comprehensam admirabimur.

**E** Ac primo, quoniam omnibus his vocibus, vel omne, vel totum adicitur: nã à nobis postulat Deus, vt ex toto corde, & non ex parte cordis, ex omni virtute, & non ex aliqua parte virtutis ipsum amemus; quid sit ex toto diligere, attentè videamus. Perfectò ex omni, aut ex toto diligere est omnem amorem nostrum in Deo summo bono collocare; nihil amare præter eum, à quo esse, vitam, & omne bonum accipimus, aut si aliquid aliud amamus, solù ea ratione, & ea mensura, & eo fine diligere, quo Deus ipse vult vt rem creatam amemus. Nam qui alicuius solius gratia alium diligit, non censetur extra illum quempiam amare, cui non propter se, sed propter primum ac præcipuum dilectum, amorem impertit. Ille itaque ex toto amat, qui non solum Deo contraria, sed etiam dissona prudenter abiicit, qui omnia sancti

Mat. 22.  
Luc. 10.  
Mar. 12.  
Deut. 6.

Rom. 9.

Act. 15.

Aug. lib.  
de discip.  
christia.  
c. 2. et. 9.

Prov. 10.

Basil. in  
Psal. 44.  
in inscrip.

4. Reg.  
17.

Osee 10.

Rom. 12.

amoris impedimenta remouet, qui nihil amoris, aut suis rebus, aut sibi reseruat, qui quantum potest ad amandum, & Deo placendum seipsum extendit. In quam sententiam ita scribit magnus Basilius. Non cuiusuis est ad charitatis usque progredi posse, ac prouehi perfectionem, & eum quiuisse agnoscere, qui verè est dilectus, sed eius qui veterem hominem contaminatum concupiscentiis fallacibus, & subtilis exutus, nouum fuerit indutus, renouatum ad agnitionem secundum Creatoris imaginem. Quoniam qui pecuniam amat, & circa corruptiuam, ac deciduam corporis pulchritudinem stupore corrigitur, & presentem gloriam tanti ad eò æstimat, simul & potentia dilecti ad ea, quæ nihil minus conueniebat, insumpta est, is planè cæcutit ad istius verissimi dilecti contemplationem: Ideò dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Hoc autem, quod ex omni dicit, diuisionem in alia nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est, ut ei adimas, quod totum est, ideòque pauci ex omnibus, amici Dei appellati sunt, quemadmodum scriptum est Mosen fuisse amicum. ] Pauci, inquam, sunt, qui Dei amici perfecti appellantur, quoniam non ex toto diligunt, sed amorem suum diuidunt, & in multa uana, atque inutilia disperunt. Similes ex parte illis miseris Samaritanis, qui ( ut in libro Regū legitur ) cum Dominū colerēt, Diis quoque suis seruibant; iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Ita isti, & Deo, & rebus mundanis obsequi student, & re vera, neque caducis rebus se totos tradunt, nec Deo, qui totum querit, & partē non admittit, fideliter seruiunt, & sic pigrorū, & infidelium seruorū pœnas incurrunt. Nā scriptum est per Oseam: Diuisum est cor eorum, tunc interibūt. ] Hoc ergo est Deum ex toto diligere, vniuersa affectu ( si quis potest ) sin minus affectu relinquere, & omnes cogitationes, omnes affectiones, ad æterna sustollere, & omnibus laboribus, ac obsequiis nostris, non aliud, quàm Domini beneplacitū querere, secundū illud Pauli. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sēsus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. ] Ille nāque non cōformatur huic sæculo, qui sæculi inquinamenta non querit; ille reformatur in nouitate sensus sui, qui igne charitatis accensus, natiuam ueritatē absumit; quo igne innouatus scit Dei voluntatem inuenire; & ea non desideris tantum, sed etiam actione præstare. Vnde sicut Apostoli dicuntur omnia reliquisse, quia nihil sæculi sibi retinuerunt, nec diuitias, nec honores, nec voluptates, nec sæculares affectiones, nec curas, nec cogitationes, sed omnia hæc constanti animo repudiant, ut cælestia; & æterna possiderent, sic illi dicuntur omnia creata relinquere, & ex toto Deum amore complecti, qui nihil amoris terreni reseruantes, diuino amore incitantur, diuino amore pascuntur, & omnia, siue quæ faciunt, siue quæ cupiunt, siue quæ cogitant, in augmentum charitatis intendunt. In hæc igitur uoce solat, ex toto, & ex omni, miro modo explicata perfectio est, quia totum, & omne, & perfectū idem sunt, & non est ab homine perfectius obsequiū requirendum quàm illud, quod omnia homini possibilia continet, & nihil excludit. Sed uerba sequentia, cor, anima, & mens, & cætera quæ sequuntur, manifestius perfectionis naturam explicant.

Diliges ( inquit perfectionis magister ) Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. ] Amorem uoluntatis, aut cordis, hoc est internū charitatis affectum, primo loco præcipit, & præcipiendo, suadet: quoniam

**A** in hoc natura & substantia charitatis, & perfectionis sita est, & ab eo ( ut Thomas Aquinas ait ) alia omnia perfectionis opera, quæ postea dicemus, tamquam riuus à fonte purissimo, tamquam splendor à luce; & verè tamquam effectus à causa promanant. Nam & bonus homo de bono thesauro suo profert bonā ] & inania sunt opera ( quod attinet ad gratiam & uitam beatam promerendam ) si à uoluntate charitatis uacua exoriantur; dicente Apostolo: si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. ] Hunc autem interiorē amoris affectum in hac uoce, ex corde, à Domino postulari, Bernardus docet his uerbis. Mihi uideretur ( si alius competentior sensus in hac doctrina distinctione non occurrat ) amor quidē cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis, anima uerò amor ad industriam, seu iudicium, rationis, uirtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam, uel vigorem. Dilige ergo Dominū Deum tuum toto, & pleno cordis affectu; dilige tota rationis uigilantia, & circumspectione; Dilige & tota uirtute, ut nec mori pro eius amore pertimescas. Et Thomas Aquinas. Considerandum est ( inquit ) quod dilectio est actus uoluntatis, quæ hic significatur per cor, atque ad eò præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est; ex toto corde diligere. Consentit & sapiens Idiota in hunc ferè modum scribens. Toto corde te diligere, clementissime Domine Iesu Christe, immensitudo amoris est, non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi iniuriis, sed integrè sic te diligere toto corde, ut ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quàm ad te, nec delectetur in aliqua re magis, quàm in te: minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat; totum namque exigit, qui totum hominem fecisti; In hæc igitur sententia, ac maximi mandati parte, affectio uoluntatis erga Deum præcipitur; sed qualis affectio: Certè talis; ut perfectio sit ( nam tota petitur ) & non nisi à perfectis uiris habeatur. Amoris enim affectio uoluntatis actio est, non solius, sed à gratia & diuino auxilio roborata. Effectus autem similes sunt causis suis & tamquam partes quidam, earum vim, & naturam imbibunt, quare amoris affectio similis admodum est ipsi, à qua procedit uoluntati. Appetitus uerò sensibilis, quo uisibilia concupiscimus, in corde residens, si inordinatis affectibus exuatur, quædam est uoluntatis imago: & cor appetitus domicilium, ipseus etiam figura perfecta, & representatio uina est; quare & ipsum cor, tum uoluntatis, tum affectionis, siue amoris est imago perfectissima, ita ut ex eius notitia, qualis amor erga Deū habendus sit, ad hoc mandatum implendum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sine ulla difficultate cognoscamus. Cōtemplemur ergo, quod & quale sit nostrum cor, ut ipsum iam à nobis cognitum, moneat nos, & doceat, quid sit Deum ex toto corde diligere.

**D** Mirabilia sunt, quæ de corde à Medicis dicuntur, imò & à nobis ipsis sentiuntur, & assiduè noscuntur experimentis, quæ omnia hic inferere prolixum, aliqua uerò prælibare necessarium, ut ex amoris domicilio, & ex charitatis imagine, ipsius charitatis proprietates cognoscamus. Est enim humanū cor substantia solidum, & multiformibus uillis mirabili firmitate compositum. Est complexionē calidissimum, & aliquantulum siccum, atque ad eò leue, & sursum mobile, quod igneam naturam imitetur. Est figura pyramidale, cuius basis sursum, culpis deorum respicit, nisi cum uino ex propriis motibus dilatatur, quia tunc quasi in circuli modum distenditur. Est in-

D. Tho.  
lib. de dilect.  
Dei.  
c. 19.  
Mart. 11.

2. Cor. 13.

Bern. ser.  
20. in  
Cant.

D. Thom.  
2. 2. q. 44.  
art. 5.

Idiota li.  
1. cōtem.  
cap. 12.





terius concaquam, vt in duobus sinibus sanguinem purificet, & vitales spiritus elaboret, & tam illum, quam vitos in omnia membra, disperiat. Est situ præcipuum, cum in medio pectore sit, quin & in medio corpore, vt inde tamquam rex vniuersam membrorum reipublicam gubernet, & tamquam perennis fons in omnia membra, prout oportet sanguinem, & spiritus vitæ distribuat. Est operatione inquietus, quod semper non à seipso (si Aristoteli in hac re fides habenda est) sed à natura generante mouetur, & vt aliquid sibi, & aliis proficuum accipiat, dilatur, vt autem nocua, aut sibi non necessaria expellat, statim sine vlla mora constringitur. Habet in basi os, vel aliquid instar ossis, quod ei firmitatem attribuit, & immobile manens motibus dilatationis, constrictionisque subseruit. Habet auriculas, dexteram quidem repositorium sanguinis, sinistra verò aeris, ex quibus cor, cum constrictionis motu sanguine, & aëre fuerit vacuatum, eadem sibi admodum necessaria dilatatione recipiat. Habet & tamquam magnus princeps propriam domum, id est, quamdam tunicam, velut cordis opetulum; in qua totum asseruat, & inclusum teneretur, eaque plena est cuiusdam humoris aquei, qui cordis calorem nimium, & siccitatem attemperet. Ac tandem cor ex philosophi sententia, omnium est membrorum præstantissimum, quod & eius locus, nam est in medio, & tamquam in centro animalis, & eius complexio calidissima, in qua ignem imitatur, & eius figura penè rotunda, & tandem ipsius ad vitam necessitas non obscure designant. Atque hæc pauca ex multis de cordis nostri natura dicta sufficiant.

Philosophemur nunc, & ex hac descriptione cordis qualitates charitas erga Deum, & perfectionis substantiam eliciamus. Etenim credendum est auctorem naturæ Deum, ita cor humanum effinxisse, non solum, vt vitæ naturali prodesset, sed etiam, vt nos sua mirabili natura ad amorem diuinum excitaret, & perfectionis vim, ac substantiam aperiret: Dicamus ergo eum charitatis præcepto cumulare satisfacere, & Deum ex toto corde diligere, qui dilectione sua propria cordis expresserit, & eius excellentiam, ac præstantiam obtinuerit. Nam si hæc omnia, quæ diximus, velut partes sunt cordis, non quæ corpoream ipsius substantiam componant, sed quæ perfectionem omnimodam debitam cordi constituent; liquet, quoniam ille non ex toto corde diligit, qui aliquam harum partium in amore non collocat, & eam non in sua charitate delineat. Totum nihil non continet, nihil extra relinquit, quare non diligere ex toto corde conuincitur, qui aliquid sui cordis, cum possit, sibi retinet, & omnem cordis conatum, omnem cordis curam, & sollicitudinem in charitatem non impendit, & Deo Creatori non tribuit. Vt igitur Deum nostrum ex toto corde diligamus, cor soliditatem substantiæ suæ amori communicet; ita scilicet, vt amor, & charitas nostra erga Deum solida sit, quæ nulli tentationi cedat, nulli tribulationi se subdat, nullis deliciis, ac voluptatibus dissoluatur, numquam in vana & terrena peressuat, sed semper integra, & semper constans, semper firma perseueret. Nam vt Gregorius ait) qui per illicita desideria diffusus, profectus Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. Hanc soliditatem charitatis ille habebat, qui dicebat: Scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ad hoc enim legem sui factoris scrutabatur non tantum vt sciret, sed vt ad eius se custodiam afficeret, & ex affectu ad opus transiret, & vitæ eam actione completeret. Hic profectus internus amoris affectus solidus est, qui minimè dulcedine &

A suauitate contentus, magna facienda in Dei obsequiū statuit, difficilia querit, ardua, & sublimia opera virtutis aggreditur, & mentem ad faciendū & patiendum mirabili ratione consolidat, & in puritatis amore confirmat. Charitas etiam nostra sic calida, siue ignea, qua Dominus, o anima (vt est apud Isaiam) excoquit ad purum scoriā tuam, & auferit omnem stannum tuum, vt deinceps voceris ciuitas iusti, vrbs fidelis. Sit inquam calida, id est, ardens & feruida, quæ semper spirituali quodam seruore huc, illucque moueatur, & numquam præteritis laboribus, aut obsequiis fatiatur. Nam quæ primos labores iuuentutis respiciens, aut elapsos famulatus aduertens in arripiti proposito vigore lassescit, & curam augendi merita, & currendi derelinquit, & tamquam aqua stagninnoxia quadam tepiditate quiescit, non ardet caliditate feruoris, sed friget socordia, atque ignauia qualitate. Talis erat illius Episcopi charitas amaro verbo comminationis increpiti, cui dictum est: Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Neque enim satis est viro perfecto primam adolescentiæ aut iuuentutis charitatem seruare, sed opus est iugiter noui eam laboris incrementis augere. Nam si semper filius & seruus est, semper amet patrem suū, & seruiat Domino suo necesse est. At Pauli charitas erat instar cordis feruens, cuius post innumeros pro Christo exanthlatos labores, hoc est suæ perfectionis elogium: Vnum autem quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu. Ille præteritorum meritorum oblitus, noua semper & maiora quærebat, donec sanctitatis gradum sibi destinatum acciperet, & ad præmium suis laboribus, ex æternitate præparatum perueniret. Id quod sanctorum viatorum proprium est, qui sapientes cum sint, probè sciunt turpissimum esse in media via sedere, more puerorum, & non ad vitæ terminum properare. Vnde egregiè Chrysostomus. Obluiscenda (inquit rectè facta, & à tergo relinquenda sunt. Etenim & qui currit, non reputat, quantum spatij confecerit, sed quantum adhuc desit. Et nos non quantum virtutis impleuerimus, reputemus, sed quantum adhuc superfit. Quid enim nos iuuerit, quod confectum est, si quod deest, adiectum non fuerit. Tunc ergo charitas nostra ardens est, cum in curua senectute, imò & in ipso migrationis momento non quiescit, sed ad maiora desideria procedit.

Sit quoque charitatis figura quasi pinea, quæ latitudinem sursum habeat, cuspidē deorsum retineat. Quod tunc profectus habet, cum ad caelestia capienda omnibus suis conatibus se dilatat, & ad terrena admitenda, se quantum potest, angustat. Sicut enim amatores sæculi, quantum possunt, honoribus, & diuitiis crescunt, & se ad capienda mundana distendant; & etiam quantum possunt, se tributis, & aliis oneribus eximunt, & seruitute liberant: ita amatores Dei, qui sola caelestia honorabilia, & concupiscibilia reputant; & terrena, vt onera importabilia respiciunt; illa magnis sollicitudinibus promouere, & ista, aut sugere, aut saltem circumcidere, & moderari curant, Dei conspectui, & Angelorum, ac Sanctorum choris frequenter imò iugiter se presentant, & ab hominum oculis se libenter abscondunt: cognitionem veritatis, & affectus charitatis, cibos scilicet mentis, sine vlla mensura capiunt, & corporis alimenta, vix vt necessitati sufficiant, non sine molestia, & dolore suscipiunt: Virtutum opera, & sanctitatis actiones, diuitias numquam perituras, maximo nullo se quantur, & possessiones terrenas, aut omnino reiciunt,

Isaia 1.

Apo. 2.

Philip. 3.

Chrysost. 12. ad Philip.

Greg. h. b. 30. in Evangelio.

Psal. 118.

Leo ser. 1. qua. drag. c. 2.

Athanas. in vita Antonij.

Colof. 3.

Pfal. 9.

Bern. ser. 74. in Cant.

aut velut stercora vilia contemnunt. Isti iuxta Saluatoris præceptum, perfectè renuntiant omnibus, quæ possident, vt ipsius efficiantur discipuli; seipfos abnegant, id est, omnium creaturarum amorem depouunt, vt Christum sequantur, & imitentur. Ab omnibus rebus terrenis resiliunt, vt in hac valle lachrymarum positi beatitudinem illi non repugnantem assequantur. Nam vt inquit Leo Papa) beata mens, quæ peregrinationis suæ, tempora, calta sobrietate tranicurrunt, & in iis, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis, quàm domina terrenorum nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit diuinis. ] Sunt perfecti vasa pretiosa superius lata, & inferius angusta, vt superna facile capiant, & inferna paulatim, circumspicè & difficulter accipiant. Quæ sanè aliquando ita desideris liquoris caelestis dilatantur, vt penè cuspidem amittentia, se in circulum vertant, & (quod proprium perfecti circuli esse Mathematici constanter docent) solo puncto, hoc est, præcepti naturalis necessitate, terræ planitiem, ac rerum terrenarum vilitatem attingant. Quod Magnus Antonius est frequenter experius, cuius gesta Beatus Athanasius atroxens, in hunc modum scribit. Cùmque eum, siue cibi, siue somnum indulgere corpufculo, aut alias natura necessitates cogeret humana cõditio, miro afficiebatur pudore, quod tantam animæ libertatè, modici carnis termini coercerent. ] Hic non erat lapis in quadrum delatus, terræque defixus, sed circulus igneus, ad tempus vix terram attingens, vt naturales necessitates pro Deo patienter sustinens, destinatam sibi mensuram meritorum acquireret, quibus instructus ad sedes caelestes conuolaret. Sit deinde charitas imitar cordis sinuosa, quam nulla dona expleant, nullus gradus virtutis saturer, nulla puritas adepta repleat; sed semper quantumuis acquisierit, ac si esset vacua, ad maiorem sanctitatem aspiret. In his amoris sinibus, numquam laborum & bonorum operum desiderio repletis, alimenta, & instrumenta vitæ generantur, quæ membra spiritualis hominis viuificent, atque sustentent. Nam si membra hominis carnalis sunt vitia, secundum illud Pauli: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam: ] spiritualis hominis membra virtutes sunt, quæ sibi inuicem connexa ac colligata spirituales virum faciunt, etusque viuendi rationem constituunt. Hæc autem membra, quoniam alio, nisi ardentibus desiderijs reficiuntur, quorum est ipsa membra ad opus virtutis impellere, ad difficultates superandas roborare, & efficacia auxilia ad bene agendum ex Domini largitate percipere: Denique desiderium pauperum exaudiuit Dominus, preparationem, hoc est, affectum, ac postulationem eorum audiuit auris tua. ] Et egregiè Bernardus dixit; sponsum aut absentem, aut abeuntem, desideriorum vocibus reuocari: Ira (inquit) reuocatur. Verbum, & reuocatur desiderio, anima; sed eius animæ, cui semel indulerit suauitatem sui. Numquid non desiderium, vox; Et valida, Denique desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Verbo igitur abeunte, vna interim, & continua animæ vox, continuum desiderium eius tamquam vnum, continuumque reuertere, donec veniat. ] Auida ergo desideria virtutis sunt quasi elaboratus sanguis, & quasi vitales spiritus in receptaculis cordis generati, id est, in sinibus charitatis, quibus virtutum membris & vita ad operandum, & resectio ad perseuerandum tribuitur.

Sit præterea charitas loco & situ præcipua, & in

A medio vniuersarum virtutum residens, omnes tamquam pedissequas ad sua ministeria imitat; omnibus imperet, omnes in suis actionibus dirigat. Ipsi tamquam cordi, aut tamquam fini, & principio omnis boni nostræ cogitationes obtemperent, affectus famulentur, operationes seruiant, & quod vel latè vnguem à Dei amore discedit, noxium, ac iniquum repuretur. Quam charitatis affectionem sub ipso cordis nomine Salomon his verbis expressit: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. ] Considera namque duas tibi vitas inesse corporalem alteram, alterâ spirituale: & sicut illa omnino à cordè carnali, ita hæc à corde spirituali, hoc est, à Dei amore & charitate dependet. Quare sicut omni custodia, scilicet summa cura, & diligentia protegis & defendis cor carnis, vt vitam naturalem conserues eius; incolmitatem reliquis membris anteponis: ita maxima sollicitudine saluti spiritualis cordis, hoc est, charitatis inuigila quâ bonis omnibus præferas, quia ex ipsa tamquàm ex fonte vita mentis promanat. Quoniam, qui non diligit, manet in morte ] inquit Ioannes Apollolus, ac si dixisset, qui caret vita, morti subiaceat, necesse est. Charitas enim est vita, quæ non tantum animæ nostræ vitales actus impertit, verum etiam aliis virtutibus, tanquam hominis spiritualis membris, vitæ fructum, hoc est meritum æternitatis suppeditat. In quam sententiam Leo Papa: Quamuis magnam sit (inquit) habere rectam fidem, sanamque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gula, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis; nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit. ] Si ergo vita semper apud nos præcipuum locum obtinet, & pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua ] charitati vitæ scilicet non corporis, quod in cineres aliquando vertetur, sed animæ; quæ in æternum perdurabit: præcipuum locum concedamus, & velut cor animæ custodiamus, à qua tamquam à regina prudentissima, ac benignissima omnium virtutum splendor, meritumque procedit. Ad hæc; sit charitas leniter inquieta, ita vt numquam perniciofa otiositate quiescat, sed continuo à suo generate, id est, ab auctore gratiæ nouis gratiæ auxiliis moueatur, & ad vniuersa impedimenta perfectionis abiicienda & ad complectenda omnia præsidia sanctitatis incitetur. Egregiè namque dixit Idiota, Labor non fatigat amorem, tormentum amorem non superat, amor quiete sit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio, sed dilectio quiescere nescit, requies enim est eius inquietudo. ] Si ergo charitas est velut cor, vt omnia peccata vitæ, & morbos prauarum affectionum pellat, & cuncta creata à se procul abiiciat, seipsam sine illa cessatione constringat, & vt feruorem spiritus attrahat, & diuitias honorum operum, ac thesauros puritatis accipiat, vsquequaque se dilatet: sic enim nequaquàm motu cordis carebit, sine quo motu cor subsistere, aut in vita perseuerare non potest. Re vera Laurentius Iustinianus ita naturam charitatis explanat, vt numquam eam, vel à Deo ipsius charitatis auctore, vel ab hoc duplici motu compressionis, quo expellit mala, & dilatationis, quo inquit bona, secernat. Eius verba sunt. De ipsa charitate hoc sentiendum est, quod sit recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita, igne quodam sancti spiritus, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis, nescia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur excelsa; affectionum omnium potissima

Pror. 4.

1. Iom. 3.

Leo ser. 10. qua. drag.

Iob. 2.

Idiota.

Laur. Iob. in li. gno vita tractatu de charis. c. 13.



suma, diuina contemplationis auida: in omnibus semper iniuncta. Summa actionum bonarum, salus morum, finis caelestium praeceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, sanctatum mentium arma, causa meritum bonorum, praemium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua (si inquam, illa perseveret) nullus unquam grauius peccare potuit, fructuosa in poenitentibus, lata in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa omnino in omnibus fidelibus, ex qua quidquid est boni operis vivit. Quam igitur suo generatori proxima est, quae inseparabiliter Spiritui sancto coniungitur. Quam minime oriosa, quae tanta ministeria prudenter aggreditur? Quam timida mali, quae omnibus criminibus, imò & defectibus, quantum potest bellum indicit? Quam denique boni auida, quae omnium virtutum summam, omnium bonorum operum merita comprehendit. Verè animae cor, quod semper inquietum erit, donec ad finem suum (qui complexus Dei est) latè, faultèque perueniat.

Postremo reliqua quae diximus cordis propria etiam perfecta charitati inesse debent, ut scilicet os aliquid, id est fortitudinem habeat, qua tentationibus resistat, & haud quaquam tribulationibus & afflictionibus cedat; auribus decoretur, nempe prudentia duplici, cuius adiumento tunc Ecclesiae & Praelatis se subiiciat, tum bona desideria ab his quae bona non sunt & sub praetextu boni occurrunt, sollicita discussione discernat: nec dono suauitatis careat, qua nihil nisi Deus illi dulcescat. Si enim fortis non est, occurrente quavis contradictione à caepta fidelitate deficiet: si prudens non est, in suo sensu nimis abundans, aduersarij tendiculis facile decipietur: & si saltem aliquando non fuerit nonnulla dulcedine, ac suauitate munita, forte deliciis creaturarum, & carnis illecebris inescabitur. Nec ineptè pellicula cordis, qua in modum vas, aut tegumentum circumdatur, hanc amoris suauitatem comparauimus; tum ex eo, quia non ad substantiam amoris pertinet, sed extrinsecus adiacet, sine qua sapientissime magnus & perfectus Dei amor inuenitur: tum etiam quia ista amori adiecta suauitas, velut domus quaedam, aut secretum conclaue firmis seris oclulum nos continet, ne in res creatas effluamus, aut eorum illecebris capiamur. Hanc tria perfecti amoris insignia, licet ordine commutato, non erit molestum Bernardi dulcissimis verbis audire. Disce, o Christiane, (inquit) à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducatur, dulcescat tibi praesentis sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij, & erroris, luceat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia, sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec teporem habeat; nec careat discretione, nec timidus sit. Charitas ergo affectus verè his proprietatibus exornata, non in solo affectu se continebit, sed ad effectum, & opus procedit, quae humani cordis gerens imaginem, nomine amoris ex toto corde digna censetur. Et haec proculdubio est ipsissima vitae spiritualis perfectio. Perfectus enim est, qui numquam cor suum in vana, & terrena diffundit; qui semper, quantumcumque spiritu creuerit, maiora, & altiora desiderat; qui vix terrena, & pro sola necessitudine carnis admittit; qui numquam donis & meritis faciat, qui ad nihil amplius quam

A ad Dei amorem, & charitatem afficitur; qui omnia mala respuit, & quaecumque bona, & iusta, & sancta complectitur; & quem amoris suauitas mulcet, lux docet, & robur sine ulla intermissione in officio tenet. Arque adeò Dominus dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; hac oratione brevissima ingentes diuitias sanctitatis nobis proposuit, & latissimam perfectionis doctrinam explicauit.

Domine Deus meus, & Deus cordis mei, qui in corde meo haec verba intonare non cessas: Praebe fili mi cor tuum mihi] quibus amorem cordis efflagitas, & ad dilectionem ex toto corde meam voluntatem inflamas; da obsecro cordi meo perfectum cordis amorem, quem praeceptis, consiliis, beneficiis, suasionibus, promissis, & comminationibus postulare dignatus es; quia nemo tibi reddere aliquid poterit, nisi tu prius idem illi benignè concesseris, & longa manu donaueris. Amorem totius cordis à me postulas, dicens, Dilige me ex toto corde tuo; & ego quidem amorem totius mei cordis, si tu prius dederis, tibi restituo. Da igitur Domine per infinitam bonitatem tuam, ut te toto corde diligam, ut scilicet beneplacitum tuum, & amorem tuum omnibus donis ac charismatibus praeferam, & numquam ad diligenda creata, aut contra te, aut supra te, aut praeter te, noxia praesumptione perfluum. Da Domine Creator meus, ut amor meus solidus, erga te sit, qui nullis tentationibus, aut perturbationibus cedat; ardens sit, qui semper altiora, & sublimiora petat; Latus supra, & infra acutus sit, qui caelestia capiat, & terrena, non sine sensu doloris admittat, si nuosus sit, qui nullatenus se acceptis bonis, aut charismatibus expleat; inquietus sit; qui novos semper profectus antiquis adiciat. Fortis sit, qui contradictionibus minime superetur: prudens sit, qui nequaquam dolis inimici fallatur: Dulcis, & suauis sit, qui numquam creaturarum deliciis inescetur. Da inquam, o pater amatissime, hunc totius cordis amorem, quo te toto corde diligam, toto corde complectar, toto corde suscipiam, ut totum cor meum suam puritatem (qui tu es) & suam perfectionem, ad quam est vocatus, acquirat.

Quomodo perfectio exponatur illis  
verbis Diliges Dominum Deum  
tuum ex tota anima tua.

### CAPVT XVIII.



I perfectionis natura congruenter charitate totius cordis exprimitur, non minus apte, atque distinctè charitate totius animae declaratur. Quare Dominus, qui multis, ac variis modis; voluit rem tam necessariam, id est, perfectionem, ac sanctitatem explicare, protinus addit: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua] quae dilectio manifestè totius vitae spiritualis perfectionem continet, & scopum in quem tendimus, ac totius virtutis suam comprehendat. De qua re, nemo sanè dubitabit, qui vim & notionem huius vocis, anima, quae sapientissime in sacris literis usurpatur, attentè perspexerit. Anima enim, aut vitam significat, aut corporis formam ea solum ratione, qua corpus ipsum fouet, & vegetat, vnde Ruben studens caelestium Ioseph à nece liberare, ad alios fratres ita

loquebatur:

Bern. ser.  
20. in  
Cant.

Prou. 23.

Matt. 22.

Gen. 37.  
Aug. lib.  
1. locutio-  
num in  
Gen. post  
medium.  
Iob. 2.

Matt. 6.

Aug. lib.  
2. de Ser.  
Domini  
in monte  
c. 1. serm.  
4.

Ioa. 12.

Matt. 16.

Matt. 22.

loquebatur: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem. Hoc est (vt Augustinus interpretatur) nec tam crudeliter vltionem sumatis ex eo, vt fratris vestri vitam auferatis, & pro leui verborum iniuria temporali morte mulctetis. Et Dominus ad Satan: Ecce Iob in manu tua est, verumtamen animam illius serua. Ne scilicet naturali vita ipsum spolijs, qua decreui inuidissimum athletum aduersum te importuno Marte pugnare, & gloriosissimas reportare victorias. Ac rursus ipse Saluator noster, discipulis suis mandatum vtilis fiducia proponens: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: nonne anima plus est, quam esca, & corpus plusquam vestimentum. ] Ac si dixisset, licet anima & corpus, ex quibus homo componitur sint ipsi supra modum charissima, nolite tamen eorum nimiam sollicitudinem habere, nec pro alimento animae, id est, vitae, aut pro tegumento corpori necessario immoderate discrucari, quoniam qui maiora, & potiora dedit vobis, scilicet corpus & animam, non est minor, & vilior, nimirum cibum, & vestem negaturus. Atque hoc loco animam pro vita sumi, non solum ipsa verborum series, verum & communis patrum interpretatio manifeste testatur, quorum vnum (& hic sit Augustinus) non graua bor citare. Vt tu intelligas (inquit) eum, qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum: & corpus, quam vestimentum, id est, plus est: vt similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum. Quo loco quaeri solet, vtrum, & ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus? Sed animam hoc loco pro ista vita positam nouerimus, cuius retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundum hanc significationem dictum est etiam illud. Qui amat animam suam perdet illam. ] Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse martyres claruit, contrarium hoc preceptum erit illi sententiae, qua dictum est. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima autem suae detrimentum faciat. In hac ergo notissima ac vltatissima significatione existimo animam acceptam esse a Domino, cum ipse praecipit: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua. ] Ex quo facile erit intelligere; quid sit amare Deum ex tota anima, & quo pacto hac dilectio ex tota anima nec transuersum vnguem (vt aiunt) ab ipsa spiritualis vitae perfectione discedat.

Dilectio igitur ex tota anima est, qua ex vera charitate nobis infusa, Deo totam nostram vitam consecramus, & in holocaustum suauitatis offerimus: Cum scilicet charitas ita vitam nostram moderatur, & omnes vitae actiones gubernat, vt Deo sint gratae, & augmento nostrae virtutis, ac proximorum utilitati proficiat. Quamobrem ille ex tota anima Deum diligit; qui animam, id est, vitam suam non tamquam propriam, sed vt alienam respiciens, Deo, cuius reuera est, eam restituit, & furtum, ac rapinam cauens, nec Daemoni nec mundo; nec carni; nec sibi ipsi, quantum potest, aliquid opus, aliquid verbum; aliquid desiderium; aut aliquam cogitationem relinquit: Ille inquam, ex tota anima Deum diligit, qui omnia vitae suae opera, quae Deo displicent, timet, & siue illa graua peccata sint, siue leuia constanter fugit: qui affectus, & cupiditates suas cohibet, & diuinae voluntati subdit; qui vniuersas actiones conseruationi vitae necessarias non tam propter vitam ipsam (quod malum non est) quam propter Dei honorem & gloriam (quod melius est) praestare contendit, memor illius salutatis

A documenti: siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ] qui reliqua gratiae acta ad quorum esse naturalis vitae concurrunt, non ob aliud exercet, nisi vt Deo placeat, & siue respectu mercedis, & praemij, eius sanctam voluntatem adimpleat. Licet enim bonum sit Deo famulari, alicuius praesertim aeternae mercedis obtentu, tam ille verissime totam animam, ac vitam suam Creatori dedicat, qui nec praemij recordatur, nec mercedem respicit, nec propria aliqua commoditate inquit, sed hac cura in diuinam misericordiam iactata, solum placere, seruire, obedire, & amare concupiscit. Ille tandem ex tota anima diligit Deum, qui vitam ea sola ratione seruare vult, quatenus diuini amoris est; ac famulatus instrumentum, & eam statim velle mittere, si non esset Deo grata, & iustissimis eius praecipis addicta: & similiter vitam pro Dei amore vellet profundere, & pro veritate, aut iustitiae defensione conculcare. Quod Origenes his verbis aperte confirmat. Hi soli magnitudinem eius mandati, in se suscipiunt & primatum, qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam tria illa susceperunt, id est, vt ex toto corde suo apud se illam totam recordant, & operationes eius, & cogitationes eius, & ex tota anima sua, id est, vt parati sint ponere eam pro pietate Dei, qui vniuersa creauit, quando vilitas exegerit verbi: ex eo quod ex tota anima diligit Deum, ita vt nulla pars animae euellatur ad aliquam rem, quae a fide est aliena. ] Qui ita Deum diligit, profecto ex tota anima diligit, & non de seipso, sed de digna bonitate praesumens, poterit se illis annuere, qui dicunt: Nemo nostrum sibi viuunt, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus. ] Hic quidem ita diligit, non sibi viuunt bona praestando, sed Deo, cui bonis actionibus placere studet; & non sibi moritur, affectus & vitia mortificando, sed Deo pro cuius amore mortem istam veteris hominis sustinet. Sed cum viuunt, velut fidelis seruus, Domino viuunt, ei in omnibus seruendo; & cum moritur mundo; & actibus eius, Domino moritur, solum ipsius beneplacitum & gloriam quaerendo; vt siue viuus sanctitati, siue mortuus iniquitati, Domini semper amicus imo & filius existat.

Hanc dilectionem ex tota anima, antiqua veteris legis holocausta praesignauerunt quibus non pars animalis, sed totum animal in Dei honorem cremabatur. Ad hoc namque Dominus totum animal postulabat, & igni comburi praecipiebat, vt offerentes, atque in illis omnes posteros admoneret, quo pacto deberent totam vitam suam igne charitatis absumere, & per amorem perfectum virtuti consecrare. Quod in primo holocausto, quod bouem erat, possumus aperte monstrare. Ad illud enim non vacca, sed bos, masculus scilicet, & ille immaculatus pernebatur, quae offerens ad ostium tabernaculi adducebat, & impositis manibus super caput eius, tamquam abdicans se dominio hostiae, in signum diuini amoris, ac in reuerentiam infinitae maiestatis, iuri, quod super oblatum bouem habebat, sponte, & liberaliter renuntiabat. Deinde sacerdos immolabat victimam, cuius sanguinem filij Aaron accipientes, per altaris circuitum effundebant, & hac ipsa effusione libabant. Tandem, detracta pelle hostiae & artibus eius in frustra concissis, aqua lotis, & super struem lignorum, non sine ordine collocatis, ignis subiciebatur, qui hostiam adoleret, & holocaustum Domino gratissimum constitueret. Ignis iste, cui tota hostia consumenda traditur, charitas est non incipiens, non proficiens tantum, sed ita perfecta,

1. Cor. 10.

Origen.  
tract. 23.  
in Matt.

Rom. 14.

Leuit. 1.



*Mach.  
2. Mat. 2.*

*Ioan. 10.*

*Apo. 1.*

*B. fl. ad  
6. 2. f. 10.*

vt charitas ex tota anima dici mereatur. Ignis profectò, quem filij Israël è durissima Chaldæorum seruitute liberati, magno sollicitudine & diligentia perscrutantur, & cura ciborum & vestium & aliarum rerum sibi necessariorum abiecta, primo loco tanquam ditissimum thesaurum exquirunt: sapienter existimantes, inuenire igne se omnium diuitiarum venam reperisse, & cibos, vestes, & opes, eo habito, abundè comparasse. Charitas ignis est, qui potenter frigus inordinati amoris pellic, & omnia nostra pura facit, & splendida, & holocaustum Domino gratum in odorem suauitatis accendit. Hæc ego charitas ( vt ab eo quod primum esse debet incipiamus ) non rectam solum intentionem exigit, quæ in timore pœnæ, aut in spe præmij subsistit: sed intentionem omninò perfectam requirit, qua victimam, id est, nos ipsos ad ostium tabernaculi offeramus, & Christo saluatori nostro, qui ostium æternitatis est placere, & aliquid grati atque acceptum offerre in reuerentiam suæ maiestatis, & ob amorem suæ bonitatis concupiscimus. Masculum etiam absumendum hæc charitas postulat, eum scilicet, qui famineam imbecillitatem exuens, idoneus sit labores subire, & pro amore Dei seipsum, & omnia bona creata relinquere, & si opus fuerit, cuncta mala tolerare. Non autem quemcumque masculum, sed immaculatum efflagitat, illum videlicet, qui nulla sui parte careat, hoc est, nulla morali virtute priuetur ( nam virtutes, vt diximus, sunt velut partes viri spiritualis ) & quantum fragilitas humana permittit, nullam peccati maculam, nullum imperfectionis nauum admittat. An verò his charitas, vt suum opus expleat, est vsquequaque contenta? Nullo modo, sed præterea vult, vt super caput hostiæ ( quæ tu ipse es ) manus imponas, nimirum, vt te, tui ipsius dominio abdicas, te ipsum vincendo, & tuam voluntatem abnegando, te iam non tantum offerens, sed sacerdos effectus vnus illorum, qui dicunt: Et fecisti nos Deo regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram ] te ipsum quotidie immoles, & gladio crucis mortifices, & humilitate prosternas. Est ne amplius necessarium? Certè vt tuarum cupiditatum sanguinem fundas, facultatem temporalium pelle te spoliè artus, & opera vitæ tuæ subtili examinatione in frusta concidas: quæ facta sunt, contritionis lachrymis laues; quæ minus ordinata sunt, ordines; quæ arida sunt & frigida lignis sanctarum cogitationum & purorum affectuum superimponas, tunc ignis charitatis totum holocaustum adolebit, & omnem vitam nostram in odorem suauitatis cremabit. Hunc esse holocausti spiritum optimè hac oratione docet Basilus. Non enim animal ipsum nempe arietem ( air ) quoquomodo expectui, sed mentem nimirum præcipuam facultatem animæ indistractam, nec vlla terrenarum rerum sollicitudine dispersitam, ac veluti igne candentem purgatam, & quæ se declararit probam esse. Hanc ego totam ad me depono remitti. Neque effragito, vt adeps agnorum in segmenta, ac minutim concisa torreatur igni, inque fumum ac nidorem redigatur: sed vt mini consecretur candor, simplici atque morum abinnocente anima proficiens. Non etiam, postulo, vt ad basia altaris sanguis effundatur taurorum & hircorum, sed vt facultates animæ ad concupiscentiam & indignationem propensiores per operosam, ac strenuè effusam deprecationem, perque iugem perseverantiam in sanctis locis consummantur. Qui prius non fuerit his laboribus probatus, his dispositionibus præparatus, his operibus vitæ actuarum vniversis desiderijs carnis exutus, non poterit totis

**A** ardere, aut ex tota anima, aut tota vita Deum amore complecti. Nam si quis distortam intentionem habuerit, aliqua vitæ suæ opera, aut proprium commodum, aut inanis gloria surripiet; si famineam fragilitatem induerit, alia noxius tepor inficiet: si maculatus fuerit, sui cordis fæditates per opera ab ipso corde exeuntia disperiet; si denique aliquid vitæ suæ non immolatum Deo, id est, non mortificatum, nec Dei voluntati subiectum retinuerit, illud Christi dominio subtrahet, atque ad eam animæ partem aut sibi, aut rebus creatis referuabit. Vt ergo holocaustum Deo acceptum simus, & ( quod idem est ) ex tota anima diligamus, necesse est nihil nostri retinere, nihil nõ Creatori lagissimè restituere, & sanctissimo eius cõspectui præsentare, quod amor possideat, dilectio sibi vendicet, & ignis charitatis absumat.

**B** Non erit autem nobis difficile, hæc omnia sustinere charitatis obtentu, si meditemur seriò, quod Thomas Aquinas annotauit, Deum esse veluti animam, & vitam nostræ animæ, ac ideò æquum esse, vt quod corpus præstat animæ, id ipsum nos Deo nostro præstemus, & ob eius amorem faciamus. Deus quidem animæ humanæ anima & vita est. Nam & hæc in Deuteronomio legimus. Elige vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhaereas, ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum. ] ò dulcis, ac fælix vita, quam si volumus, nec humanarum rerum euentus contristabunt, nec ægritudo soluet, nec mors amara surripiet. O vera, & summa vita ( inquit Augustinus ) à quo, per quem, & in quo viuunt omnia, quæcumque verè, & beatè viuunt. Anima igitur nostra à corpore suo discat, quanam ratione debeat Deum vitam suam amare & ei summis conatibus adherere. Corpus certè antequam anima decoretur, eam ardentè appetit, & vt illam, suum decus & ornamentum suscipiat, necessariis, ac debitis præparationibus se disponit: postquam verò illam recepit omnes vires, & neruos in eius obsequium & conseruationem occupat, à qua se vitam, & sensum, & morum habere non ambigit: & nihil aliud timer, nisi ab anima separari, aut ab amplexibus eius auelli. Vade, ò anima, non ad alium magistrum quam ad corpus tuum, & considera vias eius, & discè perfectæ charitatis sapientiam. Si nondum spiritus Dei tui spirat, si nondum vocem eius audis, voca illum assiduis orationibus, & gemitibus, voca inquam illum, & dic: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectum istum & reuiuifcat: & ingredietur in te spiritus, & viues, & tanti hospitis aduentu lætaberis. ] Appete illum vehemensissimis desiderijs, quoniam præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat; & si in desiderio perstitieris, foribus tuis assidentem inuenies. Præpara te obseruantia disciplinæ ad suscipiendum illum, quia hæc secum incorruptionem affert, hoc est, internam munditiam & puritatem, incorruptio autem facit esse proximum Deo ] ad quem si debite præparatus accesseris, nequam eius dulcissima præsentia carebis. At si aliquando Deum tuum, vitam scilicet tuam, intus habitantem, & viuificantem ex indicijs & coniecturis persenseris, omne studiũ tuum, omnis cura & diligentia tua, omnis actio tua sit Deo subiici, Deo inhaerere, Deum brachijs purissimi amoris amplecti: Abice peccata tua, & vitia, & imperfectiones tuas, vt ab ipso viuificeris, remoue curas tuas & distractiones tuas, ac dispersiones cordis tui, vt ab illo seũ veritatis illumineris: fuge tepiditatem tuam, & desidiam tuam, & duritiam tuam, vt ab eo mouearis & ad omne bonũ exciteris, & omnes actiones habeas spirituali vitæ conformes. Enitere

*D. Tho.  
opus. 6. 1.  
de dilect.  
Dei. c. 20*

*Deut. 30.*

*Aug. lib.  
meditat.  
c. 32.*

*Exa. 37.*

*Sapient. 6.*

*Sapient. 6.*

hanc veram vitam semper possidere; & quicquid feceris; quicquid concupueris, quicquid cogitaueris, in hoc vnum tēdat, vt huic tuæ vitæ placeas, huic tuæ vitæ inhareas, hanc tuam vitam (quæ in seipsa summè perfecta est) in te ipsa totos dies, ac noctes augeas, atque perficias, & sic ò religiose, Deum ex tota anima diligis & perfectionem, quam quæris, sine dubio reperisti. Idem namque est perfectū esse; & totam vitam Deo consecrare, & in holocaustum offerre, quod profecto assequutus est verus Dei amator, qui eo modo, quem explicuimus, Deum vt vitam animæ suæ, respicit, ipsūque ex tota anima diligit.

Domine Deus meus, amator meus, vita mea, & anima animæ meæ, qui ex tota anima vis diligis; & ex tota vita à nobis amari: concede, quæso, margaritam perfectæ charitatis animæ meæ, vt ipsa tota tui amore ardeat, & omnes actiones, & desideria sua in tui amorem & obsequium impendat. Anima mea, amantissime Domine, tamdiu in corpore solum maneat, & ei vitam, & sensum impertiat, quamdiu tibi est placitura, & tibi charitatis affectibus adhaerens, & tuis negotiis, ac obsequiis vacatura: his autem, quæ ad te pertinent fideliter, sedulèque perfecta, statim à corpore laxa discedat. Tibi omni tempore cogitationes suas dedicet, affectus offerat, actiones consecret, & propter te afflictiones toleret, dolores, tribulationes, & occurrentia mundi mala sustineat. Si orat, vt tibi placeat, orat; si psallit, vt te collaudet, psallat; si in cruentū sacrificiū offert, vt te veneretur, offerat; si legit ad hoc legat, non vt curiositatem pascat, sed vt tuam voluntatem calleat, & vt te dulcissimum patrem agnoscat. Ingrediarur intra se, vt te in occulto conclauis suauissimum sponsum inueniens purissimis astringat amplexibus; egrediarur extra se, non vt aliquo tempore distracta, & sui oblita maneat, sed vt more fidelis sponsæ ob amorem tui famulos tuos dirigat, torpentes excitet, sollicitos laudet, inquietos corripiat, quietos moneat, & omnia, quæ domui tuæ sunt necessaria, disponat. Nullam rem mente reuoluat, nullam curam affectu suscipiat, nulli negotio manum admoueat, in quo sui puritatem non quærat, tui obsequium, ac bene placitum non cupiat, & non tantum amorem, & dilectionem inueniat. Hoc sit, ò Creator meus, animæ meæ desiderium, tibi (si possibile esset) omnibus Angelorum affectibus famulari, & vniuersis sanctorū operibus, ac laboribus deseruire. Vellet ipsa (si datum esset) in gloriam tuam, fidem promulgasse cum Apostolis, sanguinem effudisse cum martyribus, Ecclesiam gubernasse cum Pontificibus, illuminasse eū doctoribus, & discipulis cum confessoribus, & virginibus; & omnes omnium tentationes subiicere, & plus omnibus laborasse. Vellet ipsa seruire cum Angelis, famulari cum Archangelis, cum spiritibus assistentibus assistere, cum ministratibus ministrare, & omnium celestium ciuium ob tui honorem functiones induere. Ista Domine desideria suscipe, affectus respice, voluntatem magna faciendi benignissimè admittite, & exilitatem obsequij non respuas, & minima ancillæ seruitia, ne contemas, sed potius hæc minima opera, quæ sola meæ imbecillitati sunt possibilia, ita magnis desideriis attempera, vt pro amore ex tota anima recipiantur, & pro perfectione charitatis admittantur.

*Quo pacto perfectio explicetur illis verbis:  
Diliges Dominum Deum tuum  
ex tota mente tua.*

C A P. XIX.

**A** Nter animam & mentem, siue spiritum, aliquid interesse discrimen Apostoli ad Hebræos, scribentis probat auctoritas. Vnius (inquit) est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio accipitur; & percingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus. Si enim verbum Dei, quod viuū est, hoc est, vera vita omnia viuificans, & efficax, ac potens, & faciens quicquid vult, & penetrabilis omni gladio, quod vsque ad intimam conscientiam peruadit, perfecte tangit cognitione verissima diuisionem animæ, & spiritus, manifestum est animæ, & spiritus siue mentis (quod idem est) aliquid esse discrimen; quia ea solum vera cognitione secerantur (à cognoscente res, sicut sunt) quæ aut natura, aut qualitate, aut alia simili ratione separantur. Et rursus ipse Paulus alio loco eandem differentiam designat, ita scribens, ipse Deus pacis, sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Hanc ergo Patres inter animam & spiritum, siue mentem distinctionem constituunt, non quod sint due substantiæ natura, & essentia diuisæ; sed quod sint duo officia, aut due functiones eiusdem formæ humanæ, distinctis effectibus separatæ. Anima namque dicitur forma hominis immaterialis, & immortalis, quatenus vegetat corpus, & sensum, ac motum homini, communem etiam brutis attribuit: spiritus vero, siue mens dicitur eadem anima, quatenus intelligit, & amat, & est liberi arbitrij capax, in quo eum celestibus spiritibus conuenit. Vnde Ambrosius. Anima viuimus, spiritu intelligimus, vita nobis carnalis cum bestiis communis est, rationalis & spiritualis cum Angelis. Et Anselmus. Spiritus noster non est vniuersa anima, sed aliquid eius, id est illud, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus: per quod & præponimur pecoribus, quia illa sunt rationis expertia. Non habent enim spiritum, id est, intellectum, & rationis, ac sapientiæ sensum, sed animum tantum. Nam & de illis dictum est: Producant aquæ repentia animarum viuentium. Et producat terra animam viuentem. Itaque spiritu intelligimus cum angelis, anima viuimus cum bestiis. Atque ad idem Basilus. Omnis in eo adhibenda cura est, vt animi agitatio in officio retineatur; quod assequemur, si eam mentis impetio subiiciamus, quæ ipsa diligentissimè obseruans prouideat, ne ab recto animus futiliter aberrat, nè à trahentibus ipsam in diuersam partem, corporis affectionibus prauis prægrauetur: quemadmodum enim per oculos corpus videt, sic animus cernit per mentem ipsi agnata: at neque vt vnum in altero, sed vnum & idem prorsus animus est, & mens. Hæc autem naturalis est vis quædam, neque aduentitia eius animi partis, in qua posita ratio est. Hoc sensu accipit Dominus mentem, cum ait; Diliges dominum Deum tuum ex tota mente tua; id est, ex omni spiritu tuo; quæ dilectio mirificè totam naturam perfectionis continet, & substantiam veram, & solidam puritatis explanat.

Charitatem enim ex tota mente in duobus positam esse existimamus. Alterum est, vt mentem, id est, spiritum nostrum, qui Dei capax est, & nullo bono, nisi infinito, atque immenso impletur, Deo possidendum, & inhabitandum tradamus, atque in templum sanctum, ac illibatam eidem Domino consecremus. Alterum verò, vt partes spiritus nostri, memoria, intelligentia, atque voluntas, iugiter quantum in hoc exili loco fieri potest, Deo adhaereant, & ipsi in hoc templo spiritus nostri purissimum, ac san-

Hebræ. 4.

1. Thess.

Ambros. ad

Hebræ. 4.

Anselm.

Basilin

concl. mo-

nast. c. 3.

ctissimum

atissimum cultum exhibent. Qui hoc assequutus fuerit, Deum ex tota mente diligit, & in hac vita statum incipientium, & proficientium pratergressus, iam incipit esse perfectus. Hæc duo, quæ proposuimus, sigillatim explicemus.

**Ierem. 23.** Deus quidem, qui immensus dicitur, & (ut est apud Ieremiam) caelum & terram implet in omnibus locis, & in omnibus rebus est, si secundum usum Theologorum loquamur, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per essentiam certè, quia eius diuina substantia nullis clausa terminis, nullis circumscripta limitibus, nullis locis definita, omnibus rebus, ac locis intimè adest, quàm ipsamet res, vel ipsamet loca adsunt sibi. Et sicut cùm sol est in seruore diei, eius lux secundum suam naturam est in toto aère, & in omnes eius partes peruat, ita ut nulla sit pars, quantumuis minima, quæ luce vacua, aut inanis existat: ita profectò natura diuina, quæ lux substantialis, immaterialis, & infinita est, quam nulla nebula impedit, nulla nubes obscurat, omnibus intimè adest, & vniuersa penetrat, & velut causa coniuncta dat suis effectis, ut in esse subsistant. Licet per omnia similitudo nõ quadrat, nam tota lux in toto aère est, & pars lucis in parte; at Deus vbique est totus, qui nec locorum spatii distenditur, aut rerum varietate distrahitur, aut partium diuersitate diuiditur. Cuius rei ipse spiritus Dei testis est omni exceptione maior, hæc cordi Dauidis instillans. Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam: Si ascendero in caelum illic es; si descendero in infernum, ades: Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Per præsentiam verò, quia nihil Deum latet, & ut Paulus ait: non est vlla creatura inuincibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Sed quemadmodum quis est in tota cella, vel conclaui per præsentiam, quia omnia, quæ sunt in eo loco oculis cernit, & sine vlla ambiguitate cognoscit: Sic Deus, cui totus orbis, quoad visibilia, & inuisibilia est locus exiguus, omnia intuetur, vniuersa discernit, præterita, præsentia, & futura, nec non & possibilia, & quicquid est, aut esse potest, manifestè cognoscit. Quod regius vates non siluit, diuinam adhuc immensitatem edicens. Et dixi, forsitan tenebræ concalebunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Nam si dixerit (inquit) nobis cogitatio nostra, ut in tenebris ab oculis tuis, Domine occultemur, & ad perfruendum deliciis, & impuris voluptatibus abscondamur, respondeamus ea, quòd vana, & insipientissima sit, nam & tenebræ tibi aperta sunt, caligo sicut claritas manifesta, & obscura nox, non minùs clara, quàm si esset meridies. Per potentiam denique est Deus in omnibus, quia eius regia potestas omnibus rebus imperat, eius vis, sicut omnia fecit, ita omnia conseruat, mouet, dirigit, & gubernat, & vniuersa potest destruere, & in baratrum nihili præcipitare. Quam potentia immensitatem sanctus Iob graphice depingit. Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutuntur. Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quau sub signaculo. Qui extendit caelos solus, & graditur super fluctus maris. Qui tacit Arcturum, & Orionem, & Hyadas, & interiora austru. Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia quorum non est numerus. Et ad idem per-

**A** git Psalmographus: Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia operarua. De hac Dei immensitate Gregorius ita loquitur. In solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quòd vnus viuificet omnia, qui creauit Deus, quòd vbique est, & vbique totus est, quòd incircumscriptus, & incomprehensibilis sentiri potest, & videri non potest, quòd nusquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est: quòd neque ibi deest vbi longè est, quia vbi non est per gratiam, adest per vindictam, quòd omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit. Quædam enim tangit ut sint, nec tamen ut viuant, & sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quædam tangit, ut sint, viuant, & sentiant, non tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia. Quædam tangit ut sint, viuant, sentiant, & discernant, sicut est humana & Angelica natura. Et cùm ipse nunquam sibi metipsum sit dissimilis, dissimiliter tangit dissimilia. Quòd vbique præsens est, & inueniri vix potest; quòd stantem sequimur, & apprehendere non valeamus. Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ illa natura sit, quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Et ut alium ex patribus adducamus, sic de eadem immensitate loquitur Augustinus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spacia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio, dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo caelo totus, & in sola terra totus, & in caelo, & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus. Sic isti beatissimi patres Dei immensitatem, & in omnibus rebus existentiam, verè & pie confitentur.

**B** Sed præter hunc communem modum quo Deus est in omnibus, speciali quadam, ac nobiliori ratione in iustorum mentibus esse dicitur, in quibus (ut est apud Salomonem) suas habet delicias, suam sanctitatem benignius ostendit, & prouidentia munus dulcius, & specialius exercet. Hic autem modus in hoc situs est, quòd Deus manet in iustis, & habitat in illis, non iam per essentiam, & præsentiam, & potentiam tantum, sicut in cæteris, sed tamquam in templo magnifico, in quo à puris mentibus adoratur, & colitur. Quare Paulus: Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et statim: Templum enim Dei sanctum est, quòd estis vos. Ac rursus: Vos estis templum Dei viuus, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quem existendi modum distinctum ab aliis exponit nobis regis alicuius in aula regia, vera, ac realis præsentia. Nam sicut rex potentissimus, est quidem præsens in quocumque loco, vbi se ipsum motu detulerit, at speciali quadam ratione est in palatio, atq; in throno potestatis suæ, in quo à subditis princeps agnoscitur, & tamquam rex, & dominus colitur; ibi famuli ei seruiunt, amici diligunt, satellites circumstant, extranei venerantur, & in eo tandem loco vniuersa ad se pertinentia gubernat, & iura decernit: Ita Deus, omnium regum, ac principum rex, infinite potens, qui (ut est in Iob) baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum; ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, & in omnibus rebus, & locis est, à quibus infinita, ac illimitata eius substantia abesse non potest; at in iustorum mentibus est tamquam in caelo,

Psal. 138.

Greg. l. 6.  
8. sup.  
Ezech.Aug. epi-  
stola 57.

Prou. 8.

1. Cor. 3.

2. Cor. 6.

Iob. 12.

Aug. epi-  
stola 57.

Mat. 6.

4. Reg. 2.

Ber. hom.  
3. super  
Miss. 67.

tanquam in templo sancto suo, tanquam in throno gloriae suae, in quo à iustis Deus, & princeps cognoscitur, pater; & sponsus diligitur, & dominus ac herus puris obsequiis, ac cultibus adoratur, Ibi arcanam illam humanam mentis rempublicam sapientissimè gubernat, affectus factionum amatores in officio continet vires spirituales dirigit, & omnibus sensibus & actibus nostris tanquam iudex sedens in throno iura decernit. Vnde thronus, aut sedes Dei dicitur anima iusti, in qua ipse Deus requiescit, & in iustorum cordibus tanquam in propria domo commoratur, & tanquam in templo colendus, & adorandus assistit. Optimè namque dixit Augustinus: Fatendum est vbiq; esse Deum, per diuinitatis presentiam, sed non vbiq; per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus: Pater noster, qui es vbiq; cum & hoc verum sit; sed Pater noster, qui es in caelis, vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad eius societatem, & familiam pertinemus. Et infra, vt ostendat in hac Dei habitatione apud nos, esse varios perfectionis gradus: haec addit. Cumq; vbiq; est, non in omnibus habitat, etiam in quibus habitat, non aequaliter habitat. Nam vnde est illud quod Eliseus poposcit, vt dupliciter in eo fieret spiritus Dei, qui erat in Helia? ] Et vnde in omnibus sanctis sunt alij alij sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorum Deum. ] Deus igitur in mentibus iustis est tanquam in templo, & in minus iustis quidem remissius, in magis autem iustis intius: non quia in qualibet mente iusta totus non sit, qui vbiq; totus est, & impartibilis, atque immutabilis est, sed quia quibusdam remissiore gratiam, & minora dona, alij vero gratiam ampliore, & dona potiora communicant. Omnibus autem iustis hoc commune est, vt Deum in se per gratiam possidentes, voluntatem habeant diuinae voluntati concordem, quam ob causam (vt Bernardus annotauit) non tantum dicitur Deus esse in illis, sicut in alijs creaturis etiam rationabilibus, sed (quod amplius est & perfectius) esse quoque cum illis. Huius sanctissimi Doctoris verba sunt. Deus, qui vbiq; aequaliter totus est, per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis: quam in ceteris, & ipsarum aliter in bonis, quam in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur, ab ipsis rationabilibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantum, capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluptatis. Nam dum suas voluntates ita iusticiae subdunt, vt Deum non dedecet velle, quod ipsi volunt, per hoc quod ab eius voluntate non dissentiant, Deum sibi specialiter iungunt. ] Est itaque iusti mens domus Dei, quam Deus habitat; est templum Dei, quod implet; est thronus Dei, quod occupat, & in quo sicut in caelo suo; & in habitaculo sancto suo libentissimè requiescit.

Redeamus ergo nunc ad id, vnde digressi sumus, & dicamus, quid sit Deum ex tota mente diligere. Est perfectio, ei ex amore, mentem nostram, templum, & thronum exhibere, ita scilicet, vt omnis nostra vita, & omnis nostra actio, & cogitatio in hoc tendat, vt spiritum nostrum in templum Deo paremus, & in gloriosam sedem offeramus. Hoc autem ita fiet si spiritus nostri maculas, non solum ex criminibus, sed etiam ex leuissimis culpis contractas, sicut magno, & lugubri compunctione tergamus. Scriptum est enim: Quoniam domum tuam, Domine, decet san-

A

ctitudo in longitudine dierum. ] Si Deinde gratiam qua amici Dei sumus, menti nostrae infusam, quotidie bonorum operum ministerio cumulemus. Nam si templum illud terreneum, à Salomone constructum, aurum purissimum contegebat, æquius est hoc templum immortale, quod nulla vis humana dissoluet, auro gratiae vndique contegi, ac cooperiri. Si praeterea turbam desideriorum, & affectuum rerum terrenarum persreptentem, ac nos perturbantem mortificationis flagello eiecimus, & nos ipsos quietos, ac imperturbatos custodierimus, vt diuino amori vacemus. Cum enim ipsa spiritualis domus aedificatio adeò quiete esse debeat, vt nec malleus, nec securus, nec aliquod ferramentum audiantur in ea, quãtò magis iam aedificata, atque perfecta, debet omni strepitu passionum, ac affectuum perturbatione carere. Si denique intumescat, ac abditissimum spiritus nostri velut sedes Dei sit; ibi ipse rex sedeat, ibi sponsus requiescat, inde multitudinem virium nostrarum regat, & actiones, ac desideria moderetur, vt nihil (quantum ista mortalitas patitur) in nobis diuinus obrutus, aut prauum, aut distortum inueniat. Tunc parauit ipse Dominus in iudicio thronum suum, & iudicabit orbem terrae in aequitate, iudicabit populos in iustitia. ] Dei enim thronus ( vt Basilius ait ) non è ligno, sed è iustitia est, quare tunc mens eius est sedes, cum iustitiam, ac veram puritatem induerit. Ex hac sede Dominus orbem terrae, & populos iudicat, cum non tantum affectiones nostras dirigit, sed etiam terram corporis nostri, ne ab honesto deflectat, mirabiliter regit. Tunc ergo, o homo, Deum ex tota mente diligis, cum amor charitatis in te habitans, ita ardens est, vt tuum spiritum pacatum Dei templum efficiat: Cum te ipsum ab omni macula peccatorum, & imperfectionum emundas: cum in dies gratiam, & puritatem promoues; cum vana desideria, & inuiles affectus cohibes; cum te ipsum in omnibus à Deo regi, ac gubernari sinis: & cum virtutum operibus vacas, & omnibus vitiis tanquam insensissimis hostibus bellum indicis. Haec est dilectio Dei ex tota mente, quae nos in templum sanctum Deo aedificat, & ipsum Deum nostri habitorem constituit. Cuius rei assertor est Leo Papa in hunc modum scribens. Qui autem experiri cupit an in ipso Deus habitat, de quo dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis, sincero examine cordis sui interiora discuriat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbiae, qua beneuolentia oblectetur inuidiae, quam non capiatur adulantium linguas, quamque bonis deleatur alienis, an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci iniurias, quam imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos, & iniustos, & solem suum ortiri facit super bonos & malos. ] Ac ne in multis labores sollicitae discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem, in secretis suae mentis inquirat: & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quae sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem, & habitorem sui esse non dubitet. ] Haec itaque charitas, quae omnibus se malis opponit, & omnia bona, & iusta libenter amplectitur, quae Deum sanctissimis attingit affectibus, & maleuolentiam ac inimicitiam erga proximos è sinu mentis exturbat, est charitas ex tota mente, quam qui habet, perfectè mandatum dilectionis adimplet.

Quod diximus, est primum duorum, quae propositimus, in quibus dilectio ex tota mente consistit. Secundum verò (quod iam ex parte est explicatum) illud

Psal. 92.

3. Reg. 6.

3. Reg. 6.

Psal. 9.

Basl. in eundem Psal.

Leo. ser. 8. epiphania Psal. 67.

Mat. 1.



perfecto est, ut homo affuecat Deum intra seipsum tamquam intra templum cogitare, & ei memoria, intellectu & voluntate. purissimum iugiter cultum exhibere. Quid maius quam quod Deus habitet in nobis: Quid excellentius, quam quod Creator omnium spiritui nostro inspector assistat. Quid mirabilis, quam quod immensa maiestas, quæ cæli & terra non capiunt, tamquam hospes apud latebras mētis nostræ non ad horam, sed semper maneat: Hæc igitur admiratio nos perpetuo occupet, nos à rebus terrenis abducatur, & tamquam nihil mundi sentientes, in mundo constituat. Hoc arcæum tam stupendum, quod Deus intra nos sit, memoria excitet, ut sine vlla intermissione (quantum fragilitas humana fert) eius recorderemur; intellectum exacuat, ut in eum intueamur, & tantam pulchritudinem contempleremur; voluntatem inflammet, ut illi mille desideriis amplexeremur, mille affectibus adhaeremus, & ab omnibus creaturis diligamus. Hoc studium amoris nos faciat in vitandis defectibus cautos, in bonis operibus sectandis sollicitos, in occupationibus exterioribus patientes, in functionibus interioribus libentes, in tentationibus sustinendis fortes, in laboribus tolerandis strenuos, in cura cordis nostri Sanctos & puros: & omnia vitæ nostræ opera, siue interna, siue externa, in hunc scopum referantur, ut Deum intra nos ipsos semper veneremur, semper laudemus, & sine vlla interruptione, vero amore, & charitate complectamur. Hæc si præstiterimus, & Deum intra nosmetipsos cogitare didicerimus, & cum eo in secreto mentis cubiculo morari noverimus, tamquam omnia mundana excedentes, & nos ipsos superantes, & ab omnibus creaturis exoluti, sciemus ad Deum alis charitatis volare, & non iam ex parte mentis (siquidem nullam eius partem visibilia tenent) sed ex tota mente diligere. Pulcherrimè namque dixit Hugo in spiritualibus & inq̄sibilibus, cum aliquid supremum dicitur, non quasi localiter supra culmen, aut verticem cæli constitutum, sed intrinsecum omnium significatur. Ascendere ergo ad Deum, hoc est, intrare ad semetipsum, & non solum ad se intrare, sed ineffabili quodam modo in intimis etiam seipsum transire. Qui ergo seipsum (ut ita dicam) interiorius intrans, & intrinsecus penetrans transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Ingrediamur igitur nos ipsos intellectu, & affectu, & iam creata superavimus, & ad Deum ascendimus. Demus ei omnem mentem nostram in templum, supremum spiritus nostri, in thronum, & potestas nostras in ancillas semper ei adhaerentes, offeramus: nihil externum perstrepat, quod interiori quieti se opponat, aut (quantum fieri possit) assiduum Dei memoriam, & amorem interpellat: & tunc amorem ex tota mente possidemus, & ipsam perfectionem, quam venamus, & assequuti sumus. Cassianus enim ab hac tranquillissima, & amorosa Dei memoria, quæ scilicet iugulū sit omnis peccati, & fons vniuersæ virtutis, perfectionem ac vitæ spiritualis finem nescit distinguere. Omnis monachi finis (inquit) cordisque perfectio, ad iugem, atque indurptam orationis perseverantiam tendit, & quantum humana fragilitati conceditur ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur paritatem. Ob quam omnem tam laborem corporis, quam contritionem spiritus indefessè quarimus, & iugiter exercemus, & est inter alterutrum reciproca quædam, inseparabilis que coniunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem, omnium tendit structura virtutum; ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare. Hæc igitur assidua Dei memoria dilectionis affectibus contigata nexum virtutum, &

Hugo lib.  
2. de vni.  
mundi.

Cassian.  
col. 9. c. 3.

A planè finem, ac perfectionem facit: ex quo aliud etiam habemus valde necessarium; & non semel repetendum, hæc internam mentis cum Deo occupationem, humiliter, & prudenter acceptam, nos stupidos, aut ad bona opera ineptos non reddere, sed agiles, sed expeditos, sed aptissimos ad omne opus virtutis efficere. Expertis in vita spirituali credamus, eorum instamus vestigiis, & tunc, an hoc ita sit aperte videbimus: quia absurdum profectò est cecum velle de coloribus iudicare, & nos in vita spirituali necdum infantes, velle spiritualium, & expertorum virorum sententiam, aut corrigere, aut reprehendere.

B Domine Deus meus, dulcis hospes mentis meæ, & amabilis habitator spiritus mei, qui licet cælū, & cæli cælorum te capere nō possint, tamen à mente rationali vis capi, ab spiritu humano teneri, & sinus cordium nostrorum occupare; tuam pulchritudine intra me ipsum contēplari gestio, tuam bonitatem laudē, tuam incomprehensibilem maiestatem adoro. En Deus meus tibi libētissimè offero vile tuguriolū mentis à te ex nihilo creatæ, imagine tua insignitæ, & ad te videndum & fruendum (ut de meritis filij tui spero) ex omni æternitate prædestinatæ. Hæc oblationem, o Deus mansuetissime, ne respicias, ne contempnas, sed in animo contrito & in spiritu humilitatis eam suscipias, & sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium hoc sacrificium admittas, quoniam non est confusio confidentibus in te. Tu rex magnus es, & princeps excelsus, mitte ergo necessaria habitationi tuæ, & præpara hospitium tuum, inclina ad me celos tuos, id est, virtutes sanctas & dona tua; quæ meam mentem exornent, quia rusticus, & pauperimus villanus, non potest regi regum dignum hospitium præparare. Misericordia tua procul ab spiritu meo pellat rudera peccator meorum, potentia tua menti meæ abundantissimam gratiam infundat, affectus meos comprimat, strepitum rerum mundanarum eiiciat, virtutes afferat, memoriam sopiat, intellectum liget, & voluntatem nexibus sanctæ charitatis captiuat: ut quidquid ad mentem meam pertinet, tibi seruiat, & tibi, qui beatitudo mea es, toto conatu meæ mentis adhaereat. Sede super thronum tuum (qui spiritus meus est) o tu Domine sancte, qui iudicas æquitatem, & iade omnia mea rege, quidquid in me est, ad tuam gloriam, & honorem gubernat, ut totus tibi addictus, & tuo amori consecratus possim dicere, quia te tota mente diligo, & perfectionem summis quarendam votis habere, & possidere concupisco.

Quo pacto perfectio explicetur illis verbis,  
Diliges Dominum Deum tuum ex  
omnibus viribus tuis.

C A P. XX.

E **N**OMO, sicut & quævis alia creatura; tribus constat: natura, potentia, & operatione. Natura est, qua homo, non lapis, non brutum, non aliquid aliud, sed homo est; Potentia est, qua aliquid potest, puta, intelligere, sentire, in locum aliquid proficisci: Operatio est, qua aliquid efficit, nimirum, cum aliquam rem diligit, sensu percipit, aut intellectu cognoscit. Hæc quidem omnia homo non à se habet, sed omnipotens Deus illi immensa largitate ac bonitate concessit. Ipse enim est, qui creauit hominem ad imaginem suam, & ideo vox hominis, & omnium creaturarum est quoniam ipse fecit nos,

Genes. 1.

*Psal. 99.  
Dionys.  
Rom. 13.  
Eccles. 1.*

*Isaia 26.*

*Eccles. 1.*

*Berfor.  
13. in cã.*

*1. Theof. 5.*

*D. Thom.  
opusc. 61.  
de dilect.  
Dei 1. 2.*

*Hugo.  
opusc. de  
anima  
med. cinn  
cap. 30*

& nõ ipsa nos.] Ipse est qui potentias attribuit: nam  
omnis bonitas (vt ait Dionysius) à prima bonitate  
& Paulus. Non est potestas nisi à Deo] & Ecclesiasti-  
cus. Omnis sapietia à Domino Deo est.] Ipse denique  
Deus est, qui opera & actiones impertit, qui dat vel-  
le, & perficere pro bona voluntate. Vnde Isaías orat  
in hunc modum: Domine dabis pacem nobis; omnia  
enim opera nostra operatus es nobis.] Si ergo vniuer-  
sa quæ habemus, Deo largiente, & donante recipi-  
mus, æquum profectò est, vt & omnia reddamus, &  
ita ad locum, vnde exeunt flumina reuertatur, vt ite-  
rum fluant. Quod sic copiarum aquarum (inquit Bernar-  
dus) secretis subterraneisque recurribus incessanter  
æquora repetunt, vt inde rursus ad visus, vsusque no-  
stros, iugi & infatigabili erumpant obsequio, cur non  
etiam spirituales riuus, vt arua mentium irrigare non  
desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermis-  
sione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur  
flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad  
suum principium cælestis profluuium, quo verberis  
terra refundatur. Qualiter inquit; Qualiter dicit  
Apostolus: In omnibus gratias agentes] Quidquid sapientie,  
quicquid te virtutis habere confidis, Dei  
virtuti, & Dei sapientie deputat Christo.] Do-  
minus igitur qui naturam, potentiam, & actionem  
nobis dedit, eadem per mandatum charitatis, vt  
ei restituamus efflagitat. Actionem petit, cum præ-  
cipit se ex toto corde diligi. Nam amor ex toto corde  
ipsam charitatis affectionem significat, quæ vires nos-  
tras ad omnes alias virtutis actiones impellit. Natu-  
ram postulat, cum iubet se ex tota anima, & ex tota  
mente amari. Anima namque & mens est natura no-  
stra, qua secundum inferiorem partem, cum brutis  
sentimus, & appetimus: & secundum superiorè, cum  
Angelis intelligimus, & rerum supernarum capaces  
sumus. Potentiam verò sibi restitui possit, cum dicit:  
Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus  
tuis.] Sic Thomas Aquinas nomen virium intelligit,  
& merito: Nam vires alicuius dicuntur, quæ ei robur,  
& habilitatem ad operandum tribuunt, potentia autem  
sunt, quæ nos roborant, & aptos ad agendum faciunt,  
& aptitudinem ad operandum suppeditant, quare ipsæ  
sunt nostræ vires, ex quibus omnibus debemus  
Dominum Deum, ac Patrem nostrum diligere.  
Nunc quo pacto Deus sit ex omnibus viribus dili-  
gendus videamus, & inde compertum erit hunc amo-  
rem, nequaquam ab ipsa vitæ spiritualis perfectione  
distare.

Deum diligere ex omnibus viribus nihil aliud est,  
quàm omnes vires; & potentias nostras (siue quæ ad  
partem superiorè, seu rationalem pertinet, siue quæ  
ad portionem infimam, aut vegetabilem reuocantur)  
in diuinum famularum impendere, & ex vera chari-  
tate in amoris obsequio, & augmento collocare. Ho-  
mo enim à sapientibus huius sæculi microcosmus, id  
est, paruus mundus vocatus est, quod omnia quæ in  
rebus creatis à summo Creatore dispersa sunt, colle-  
cta & in eandem naturam vnita, contineat. Nã si An-  
geli (vt à superioribus incipimus) sunt intellectus &  
liberi arbitrij particeps: Si bruta animantia sunt sensus,  
motusque capacia: homo est sensus, & motus capax: Si ar-  
bores & plantæ sunt vitæ, & accretionis compores;  
homo quoque vitæ est, & accretionis compos: si de-  
nique res inanimæ, vt elementa, & alia mixta ex ele-  
mentis composita, habent esse, materiale, & corpo-  
reum; & homo similiter non caret esse, ac natura ma-  
teriali & corporea. Vnde Hugo ait: Homo microcos-  
mus, id est, minor mundus appellari ab antiquis so-  
let, quia per similitudinem maioris mundi figuram

**A** tenet.] Qui & statim caput hominis celo, pectus æ-  
ti, ventrem mari, & extrema corporis terræ affimila-  
re perguit. In celo Deus Trinitas residet; & in capite  
humano mens, in memoriam, intelligentiam, & vol-  
untatem distincta, suas functiones exercet. In aère nu-  
bes volant, & venti interdum omnia conturbant, &  
in pectore cogitationes discurrunt, & passiones effri-  
gnatæ vniuersa confundunt. In mari aquæ congregan-  
tur; nam & Deus collectionem aquarum appellauit  
maria; & in ventre humores colliguntur. Terra om-  
nia corruptibilia sustinet, & pedes frigida naturæ to-  
tius corporis molem sustentant. Magnus autem Gre-  
gorius idem astruit dicens: Hominè à Domino, omnè  
creaturam fuisse vocatum, eo loco: Prædicare Euân-  
gelium omni creaturæ:] quod omnem in se creaturam  
comprehendat. Nec enim (vt Beda ait) Euangelium  
vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat præ-  
dicandum: quare omnis creatura vocatur homo, quia  
quodammodo ex omnium rerum creaturam naturis  
compiagitur.] Et quis prohibere poterit, vt sequen-  
tes accommodationem sanctæ matris Ecclesiæ, id  
ipsum à sapiente dictum intelligamus. Nam Spiritus  
Domini (inquit) repleuit orbem terrarum, & hoc, quod  
continet omnia, hoc scilicet magnum opus Dei, qui  
non est aliud quàm homo (vt Richelius quodam lo-  
co interpretatur) qui omnem rerum naturam in se cõ-  
tinet, sciētiam habet vocis.] Si ergo homo suo modo,  
omnium rerum naturas continet, omnes etiam vires  
omniū rerum habeat, necesse est, ita videlicet, vt An-  
gelorum, & brutorū, & plantarum, & rerum inanima-  
tarum potentias participet. Ornantur etiam istæ po-  
tentia quibusdam donis Dei, quæ Christiani Docto-  
res sancti Euangelij locutionem imitantes, solent ta-  
lenta nuncupare. Intellectus quippe ornatur scientia  
& prudentia; imaginatio, circumspetione, & requie;  
voluntas & appetitus virtute multiplici; corpus sani-  
tate, pulchritudine, & robore. Et sicut homo velut cẽ-  
trum circuli est, in quod omnes naturæ rerum & om-  
nes vires earum, tamquam lineæ concurrunt ita do-  
nis multiplicibus decoratur, quibus suo liberalissimo  
creatori placita obsequia reddat, & non beneficiorum  
oblitus, sed memor & gratus existat. Tunc verò ex  
omnibus viribus suis Deum diligit, cum omnes crea-  
turarum vires sibi concessas, & cuncta dona, atque  
talenta ex vero, & puro Dei amore in eius obsequium  
& famulatum impendit. Quod quæ ratione facturus  
sit, breuiter disseramus.

**D** Habes, ô homo, beneficio Dei vires intellectiuas  
cõmunes cū Angelis: tunc itaque ex his viribus Deum  
tuum diligis; cum earum ministerio Deo semper ad-  
hæres. Si nimirum voluntas (quæ velut regina omni-  
bus aliis viribus imperare debet) Deum sibi cupiat,  
quod est sanctæ concupiscentia: Deo propter Deū sua  
bona velit, quod est amicitia: De Deo, & bonis Dei,  
quæ in seipsa, aut in rebus creatis habet, vehementer  
exulter: iniurias Deo, aut à seipsa, aut ab aliis illatas,  
cõstanter exhorreat; Dei voluntatè, ac iussa in omni-  
bus implere satagat, & in cunctis successibus, siue pro-  
speris siue aduersis seipsam beneplacito diuino con-  
formet: Hæc est bona voluntas, cui Angeli pacè pro-  
mittunt: Nam in terra (inquiūt) pax hominibus bonæ  
voluntatis.] Hæc recta voluntas, quæ nos Christi fra-  
tres, sorores, & matres constituit. Qui enim fecerit  
voluntatem patris mei, qui in celis est, ipse dicit Do-  
minus, meus frater, & soror, & mater est.

**E** Hæc tandem perfecta voluntas, qua renouamur in  
nouitate sensus, & probamus, quæ sit voluntas Dei bo-  
na, & bene placens, & perfecta.] Quam, etiam si opus  
non adit, quia potestas operandi deest, misericors Do-  
minus cumulatè remunerat. Numquam enim merito

*Genes. 1.*

*Greg. 66.  
27. in  
Euang. &  
7. mor. c. 8.*

*Beda in  
Mart. c. 1.*

*Sapient. 1.*

*Richel.  
ibid.*

*Luca 2.*

*Marc. 3.*

*Rom. 12.*

Leo, fr. 2.  
quadrages.  
64.

caret (vt ait Leo Papa) etiam tenui facultate, bonæ voluntatis opulencia. ] Maiora quidem impedia sunt diuitum, & minora mediocrium, sed non discrepat fructus operum, vbi idem est affectus operantium. Deum etiam ex omnibus viribus diligis, cum voluntas, quæ est, prima & suprema vis, ceteras mouet, & dirigit, vt Deo placeant, Deum quarant, & eius in omnibus subdantur imperio. Moueat igitur intellectum, vt dilectum suum inquirat; quis sit, quia suprema, & infinita substantia: qualis sit, quia sine vlla qualitate pulcherrimus, optimus, sapientissimus, potentissimus; nam quidquid in Deo est, non aliquid differetum à Deo, sed ipse Deus est: Quomodo habendus sit, nempe diuinam voluntatem implendo, & nostram semper voluntatem abnegando: Quibus auxiliis facilius possidendus; illis videlicet, qui nos Deo per cognitionem, & amorem copulant, quam aliis, quæ nos hominibus amabiles reddunt, aut ad eos iuuandos disponunt. Quare preponenda est oratio lectioni; obedientia prædicationi, fraterna charitas vtili etiam occupationi, quia illa meliora sunt, & Deo acceptiora, hæc verò inferiora, secundum loco sectanda. Qua ratione in corde nostro seruandus, nempe peccata fugiendo, imperfectiones abiicendo, virtutes exercendo, & omne bonum operando. Postquam verò intellectus Deum inquisiuit, quæstum intelligat, & hanc si non solam, at præcipuam occupationem habeat, vt eum contempletur, quoad amoris studium voluntatem alliciat. Contemplatio non in speculatione sistat, sed ad agnoscendam, & faciendam Dei voluntatem moueat. Ex quo fiet, vt intellectus quantumuis illuminatus, aut scientiæ luce aut sapientiæ & contemplationis dono, nequam nimis in suo sensu abundet, sed Ecclesiæ definitionibus se subdat, Prælatorum mandatis, ac consiliis acquiescat, & planè falsum, & peruersum habeat, quicquid ab Ecclesia desiciuerit, & noxium, quidquid à Prælatorum iussis deuiauerit. Hic est intellectus, de quo sanctus Dauid: Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi. ] Intellectus utique non solum illuminatus, sed bonus, qui iuxta præscriptum timoris Domini vitam nostram instituit; qui ad veram sapientiam (quæ ars amoris est) nos mirabiliter præparat, & laudationem non fictam, sed veram, non temporalem, sed perpetuam habentibus, hunc amorem & timorem importat. Qui hunc bonum intellectum fuerit beneficio charitatis assequutus, laudet Dominum & dicat: Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increperunt merenes mei. ] Affectus enim, & sancta desideria, per renes designata, huius intellectus possessores increpant, cum eos quantumuis purè viuantes, & pro Deo laborantes, ad meliora opera, & maiorem gratitudinis significationem instigant. Moueat denique voluntas memoriam, vt Dei semper recordationem conseruet, eorum, quæ ad placendum Deo pertinent, reminiscantiam teneat, & dilectum suum apud seipsam indelebili cogitatione reponat: Scriptum est enim: Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis. ]

Psal. 110.

Psal. 15.

Eccles. 37.

Ioann. 15.

A larim ad iugem Dei memoriam veniamus, & eius perpetuo recordemur. Qui enim quando otiosus est, non cogitat Deum (inquit Augustinus) in actionibus suis cogitare Deum non potest. Qui autem memor eius est, quando quietus est, in ipso meditatur, cum agit ne in actionibus suis deficiat. ] Vires igitur rationales in hunc modum Deo dedicata, iam aliquid iuuant, vt Deum ex omnibus viribus amare dicamur.

B His comitibus voluntatis per imperantem charitatem ita compositis, charitas adhuc ultra procedat, & sensus, ac appetitus moderetur, atque componat. Primo quidem sensus externos, vt scilicet verus Dei amor visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum ab omni malo, & superfluo cohibeat, & ad omne bonum; & ad affectum charitatis promouendum instiget. Si enim sensus propter intellectum, & intellectus propter affectum nobis dati sunt, liquet, quoniam sensus ea sola debent admittere, quæ affectui diuini amoris seruiant, & reliqua omnia, quæ aut obfunt, aut inutilia sunt, constanter refutare. Sensus ita compositi, & ad debitam puritatem redacti, vocantur à Paulo sensus perfecti. Fratres (inquit) nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. ] Nolite, inquam, dona, quæ nimis splendent sensibus amplecti, & animo cupere, sed ea, quæ vtiliora sunt, magis reputate, & tamquam potiora concupiscite. Deinde charitas dirigat sensus internos, vt ea sola cogitent, quæ cogitare liceat & deceat, quæ cogitata mentem à bono, & honesto non distrahant, quæ considerata meditationi, orationique subseruiant; reliqua verò stulta & inutilia reficiant. Quam autem proprium sit perfectæ charitatis has vires internas cohibere, & imaginationem præcipuè ab inutilibus reuocare, docet optimè Basilius intrepidè affirmans; nec charitatis mandatum, neque aliud quodcumque præceptum, sine huius potentia mortificatione posse perfectè à nobis impleri. Caterum (inquit) illud nosse conuenit, nos cum nullius alterius mandati cuiusdam, tum ne charitatis quidem ipsius aduersus Deum, ac proximum obseruationem posse præstare, si huc, illucque mentem temerè passi fuerimus aberrare. Neque enim, artem vllam, scientiamve quisquam exactè discere poterit, qui ea relicta identidem modò ad hanc, modò ad illam transeat: quin ne vel vnam quidem modò quis consequi potest, qui, quæ ad illius finem accommodata officia sint, ea perspecta non habeat. Siquidem conscientia fini officia, & actiones sint, oportet: neque enim res est vlla earum modò, quæ via ac ratione tractentur, quæ si officia adhibueris, quæ ab ea sint aliena, rectè vnquam confici possit. Siquidem natura non fert, vt quod effecturam se fabrilis ferriæ ars pollicetur, id perfigulinæ artis opificium consequatur. Nec item ad coronam decertanti athletæ propositam aliquando pertigeris, qualicumque tandem te addideris studio tibiam canendi, cum ad singulos singularum artium fines obtinendos, accommodata peculiaris etiam illarum vnicuique industria quadam requiratur. Quocirca ipsa etiam, quæ ex Euangelio est pietatis cultura, studiumque ineunda: apud Deum gratia, in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsus mudi huius sollicitudinibus auo carit, se seque funditus ab quauis re vnde animo, mēteve distrahi possit, abduxerit. ] præterea, charitas appetitus concupiscibilem & irascibilem temperet, ne aut ad inaleum prolabantur, aut à bono resiliant. Concupiscibilem sanè, ita vt quæ bona sunt appetat, quæ ad diuinum amorem alliciunt, querat & cupiat;

Aug. in  
Psal. 62.

1. Cor. 14.

Basil. veg.  
s. suspir.  
disp.

quæ verò mala sunt, aut si bona in se, proposito tamen amantis minus vitia, ea nulla ratione concupiscat. Irascibilem verò, si mansuetudine temperet, ne plus quam oportet, irascatur, si humilitate premar, ne immodicè efforatur, si magnanimitate roborer, ne imprudenter infirmetur. Ille bene cupiebat qui Domino decantabat: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. ] Et idè sanctè irascebatur, qui doctus suam iram frænare discibat: Irascimini, & nolite peccare, ] & nos ad sanctam iram, quæ aduersus vitia concipitur, & non ad iniquam concipiendam admonebat. Postremo Dei amor morticem potentiam regat, vt vniuersa corporis membra, præcipuè pedes, manus, & lingua Deo militent, & se iustitiæ instrumenta perseueranter exhibeant. Quod monet Paulus, dicens: Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo. ] Ille namque membra sua peccato subtrahit, qui ea contra, aut præter diuina præcepta non mouet, & Deo tamquam arma iustitiæ concedit, qui eorum actionibus iustitiam expugnat, & Dei erga se amorem ac perfectam puritatem comparare contendit.

Adhæc, charitas potentias, aut vires vegetabiles moderetur; eam, quæ nutritioni deseruit per sobrietatem, & abstinentiam; & eam, quæ generationi famularur, per castitatem, & continentiam, vt corpus nostrum ad veram parsimoniam, & munditiam redactum, nec ciborum nimietate, ipsorumque cõctione prolixa menti tempus orandi & amandi præripiat, nec importunitate naturalis aculei, orationis, & amoris puritatem & serenitatem impediatur. Quod adiuuante Dei numine assequemur, si illud Ecclesiastici documentum fuerimus amplexi: Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo. ] Nam sicut iumentis, vt seruiant, pabula ferri, ne deficient; & ictum virgæ, ne quiescant; & onera, ne lasciuant, attribuimus: ita corpori nostro, seruo quidem, ac mancipio vilissimo cibarium panem non delictum ad sustentationem; disciplinam ad correctionem; & opus ad oriofitatis remedium conferamus. Licet autem generatiua vis sit amore diuino frænanda, & continentia, ac castitate moderanda, vt quantum possibile fuerit, nullus in ea pestilentis ignis odor appareat; tamen vis, quæ nutritioni & sustentationi corpusculi seruit, non sine discretione tractanda est, ne si ei necessaria subtraxerimus, instrumentum totius spiritualis vite deficiat. Sæpe enim (vt Laurentius Iustinianus ait) dum in carne hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus trucidamus, & plerumque dum quasi conciuui compatiuntur, ad prælium hostem nutrimus. Siergo nobis nimis, ac immoderatus seruo persualear, vt carni necessaria alimenta subtrahamus, dicendum est illi, quod quidam dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis. ] Corpusculum namque nostrum filius regis est, cui filiorum hereditas, id est, gloria, cuius est capax, in calis est reseruata, & ideo non debemus ipsum contra iussionem communis Patris immoderatis abstinentiis occidere, sed cohibitum, & mortificatum seruare. Tandem dona & talenta in his viribus à Domino collocata magisterio charitatis erudiri, in eiusdem Domini obsequium impendamus, & nequaquam vanitati, aut propeitæ commoditati donemus; vt sic, vel quinque talenta, hoc est, veram vite perfectionem, vel saltem duo talenta, scilicet initium perfectionis, & nonnullum spirituales vite profectum, lucremur, possimufq;

Psal. 118.

Psal. 4.

Rom. 6.

Eccles. 33.

Instit. in  
Ignorantia  
tr. de sobrietate. 3.

1. Reg. 18.

A dicere Domino: quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. ] Qui ita vniuersas vires suas mancipat diuinis obsequiis, Deum diligit ex omnibus viribus suis, & ipse non potest non esse perfectus. Nam si perfectus est, qui perfectam charitatem habet, & in rebus ad vitam perfectam necessariis non deficit, qui eo modo, quem diximus vires suas moderatur; & regit, non potest à consortio perfectorum excludi, cuius charitas omnia resecta facientem, & defectus omnes auerfantem debitam mensuram, & absolutum decorem acquisiuit.

B Domine Deus meus, virium nostrarum dator, & omnium donorum largus infusor, qui vires nobis seruis tuis tribuis, vt laboremus, & dona concedis, vt seruiamus, & sic laborantes, ac seruientes tibi, mercedem incorruptam & præmium semper mansurum assequamur. Tribue quoque rogamus supplices, bonum virium, & donorum vsum ne quod te donante factum est ad præmium, nobis malè vtentibus, vertatur ad supplicium. Omnes vires meæ te Dominum, & herum agnoscant, te semper quarant, tibi semper operibus sanctis inhæreant, & sint tamquam ancillæ, expectantes Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Memoria mea ô Deus meus vanis & inutilibus rebus allueta, hæc omnia vana abiciat, & iugi, ac assidua tui recordatione præfulgeat. Intellectus meus, ô lux mea, nebula quæ ex prauis affectibus ascendit, occæcatur, lucem sapientiæ ad bona sine intermissione euoluenda, & te contemplandum accipiat. Voluntas mea, ô Deus, & pulchritudo mea sensibilibus rebus sedeta, & infructuosis desiderijs compedita maculas dolore tergat, compedes melioribus desiderijs abruptat, & te solum, omne bonum diligit. Cogitatio mea, inquierum malum, vitula Ephraim docta diligere tritum, ] quæ tamquam pullum onagri, se liberam natam putat, ] ad domum cordis redeat, & sanctis rebus illigata quiescat. Appetitus meus ea constanter respiciat, quæ itineribus æternitatis officiant, & terrenis commoditatibus concalcatis, ad æterna, & caelestia suos affectus, & desideria erigat. Sensus mei, sæculo, & suis deliciis occludantur, seris & viciis timoris tui, & his, quæ compunctionem generare possunt, & tui amorem allicere, aditum circumspectionis aperiant. Membra mea mortificetur super terram, vt iniquitati subtrahantur, & tuis obsequiis, ac laudationibus consecrata, in perpetuum viuant in cælis. Si qua tandem mihi talenta, si qua dona, si qua beneficia, siue naturalia, siue supernaturalia cõcedis, ea Domine ad te redeat, te auctorem respiciant, & tuæ gloriæ solum ac saluti proximorum inferuiant. Tu, ô Deus meus, amator meus hanc republicam animæ meæ tua providentia rege, tua bonitate sanctifica, tua potentia contine, & in omnibus non solum magnis, & alicuius momenti rebus, sed etiam minimis insigni pietate gubernata, quo verus amator tui factus, & seruus non iners, sed sedulus, & ex omnibus viribus reputatus, aliquando tandem (si tibi placet) perfectus existam, & ad præmium perfectorum ascendam.

C

D

E

Qua ratione perfectio exprimat illis verbis: Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua.

C A P. XXI.



Vi rem aliquam impensè amant, non solum in ea assequenda omnes vires suas, & omnem industriam collocant, sed etiam omni

nisi,

1. Paral.

29.

Osæ 10.

10b. 11.

nisi, atque conatu in eius assequutionem incumbunt. Quod ita esse iniquam peruersitatem aperte demonstrat. Hi enim, ut sordidas voluptates, aut vanos honores, aut inquietas diuitias, quas immoderate amant, aucupentur, non iam faciunt, omne quod possunt (quod ad usum & conatum, pertinet) sed à diabolo decepti, & inelcati, faciunt etiam, aut facere tentant, amplius quam possunt. O quam multos vidimus ob cupiditatem diuitiarum, vel appetitum dignitatum, vel desiderium voluptatum, propriam substantiam, bonum nomen, & existimationem amisisse, imò & salutem corporis, & animam, & vires, & vitam temporalem, & aeternam dilapidasse. Quibus optimè illud Hieremias conuenit: Cor meum ad viros mui fictilis dabit sonitum tibiis, quia plus fecit, quam potuit, ideo perierunt. [ Plus faciunt, quam possunt qui supra vires, supra facultatem, ad mala nituntur, & propterea pereunt, quia necesse est imbecillum à fortiori ad ortum, tandem frangi & debilitari. Si ergo viri iusti in assequutione virtutis, quod peccatores in assequutione iniquitatis non faciunt, ut scilicet supra naturam, & gratiam facultatem, bona assequi conentur, saltem id faciant, ut secundum omnem conatum virium naturam & gratiam sibi concessam, perfectionem, & diuinam vniuersalem alique curent; & hoc Dominus iubet cum dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex omni virtute tua. ] Iuste quidem. Nam si mundus, & Diabolus à se suis obsequia supra vires postulant, quid ni Deus omnium Conditor, cui soli seruendum est, à creaturis suis obsequia secundum vniuersumque conatum, efflagitet? Certè si ei toto mentis conatu non famulamur, sed tepidè, & osecitanter obsequimur, anam aduersario nostro damus, ut nos rideat, & nostram cecitatem & infidelitatem reprehendat. Ut enim (inquit magnus Basilus) Dæmon capitalis nostri hostis solet nostram Domino exprobare negligentiam, & super inobedientiam nostram superbe gloriari, qui cum neque finxerit nos, nec mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen (proh dolor) & inobedientiam tuam & negligentiam, qua in præceptis Dei tenendis sumus imitatores sedulos. Hoc equidem opprobrium est contra maiestatem Domini, & hæc iactantia pœnis gehennæ longè mihi grauior esse videtur, quod nimirum inimicis Christi materiam, & anam præbamus iactantiam & elationis contra eum ipsum, qui pro nobis morti se obiecit, atque etiam ab inferis se reuocauit. ] Ut ergo nos ipsos ab hac infamia & contemptu liberemus, sollicitè studeamus Deo omni conatu famulari, & omni diligentia amore complecti, quod est ex tota virtute diligere. Sed quomodo hic sit sensus huius sententiæ priusquam ultra procedimus, breuiter aperiamus.

Virtus, si philosophorum principem consulamus, illud summum ac præstantissimū est, ad quod vis, aut potentia alicuius valet pertingere. Nam si quis posset centum talenta portare, vis eius est ad portandum quinquaginta, aut octoginta, virtus verò ad portandum centum: & si possit ambulare, & perniciousiter currere, vis est ad ambulandum, & virtus ad velocissimè currendum. Hanc autem esse huius nominis notionem confirmat nomen, vir, à quo (teste Cicero) dicta est. Vir enim (ut ait Lactantius) nominatus est, quod in eo maior vis est, quam in femina, & hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacra pagina non abhorret. Hoc nomen pro robore, potestate, & fortitudine nō semel usurpantes. Domine, Domine virtus salutis meæ (inquit sanctus David) obumbrasti caput meum in die belli. Et alio loco: Deus, qui præcinxit me virtute, & po-

A fuit immaculatam viam meam. Et rursus: Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subitū me. ] Hinc alia virtutes appellantur; quod eorum motu, & influxu, Deus inferiora gubernet, & magna, ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini cali firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, tum Theologicæ hoc nomen acceperunt, quod potentias aut vires nostras operibus bonis, & malis expositas, ad opus optimum inclinent, & ad præstantissimas functiones disponant. Est ergo virtus, si eius primænam notionem attendamus, usus, & conatus, & impetus rei, eorum quod potest facientis, & ad summum, ac sibi præstantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cum voluntatem excitamus, ut omni conatu Deum diligit, & vires alias seu potentias erigimus, ut non sequitur, non osecitanter, sed strenuè ac diligenter in Dei obsequium, ac voluntatem intendant. Vnde Thomas huc sensum exprimit, sic ait. Diliges Dominum, non tantum ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo & laborando experitis summum potentiam; quod si in hoc summo, & ultimo termino actum dilectionis semper cōtinuare, tunc nō tantum ex virtute, sed etiam ex tota virtute diligeres. ] Sed quia in vita mortali non est possibile, ut quis in omnibus bonis actibus suis summum conatum adhibeat, considerandum est, quomodo hæc sententia vitæ iustorum peregrinantium accommodetur, ut possint eam, utcumque seruare, & Deum ex tota virtute diligere.

C Illi sanè dicuntur ex virtute diligere qui Dei sunt diligentes amatores, qui Deum feruè amant, & qui gnauiter, & strenuè omnè (quarum possunt) defectum, & imperfectionem cauent, & virtutis opera ad suum statum, & munus pertinentia sedulè, sollicitè, & diligenter exercent. Quidam enim (ut Bernardus optime annotauit) accipiunt Spiritum sanctum, spiritum charitatis ad salutem; quidam verò accipiunt ad feruorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo reuertuntur ad Dominum Deum suum, qui omnimodum valedicunt, & spiritu contritionis emundati, gratiam & charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad feruorem, cum in cordibus perfectorum (ut verbis sanctissimi Patris vtatur) vehementius spirans validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriantur, contumeliâ gloriam reputantes, opprobrium, gaudium, despectionem, exaltationem. ] Qui itaque spiritum ad salutem accipiunt, diligunt Deum ex omnibus viribus suis; saltem ex eo quod nihil viribus, & potentiis suis, Deo auersum & contrarium admittunt: At qui accipiunt ad feruorem, diligunt ex omni virtute sua, quoniam iam in vita sua non solum opus amoris tenent, sed etiam modum amoris adiungunt, ut seilicet feruè & sollicitè ament, & pro amore prouehendo magna faciant, & terribilia sustineant. Quo loco liber cum ipso Bernardo lugere, quia omnibus nobis (ni fallor) si nimirum ex animo vitam mutauimus, datus est spiritus ad salutem; ad feruorem non ita. Pauci enim sunt, qui hoc spiritu repleantur, pauci, qui studeant æmulari; Contenti sumus angustiis nostris, nec respirare in libertatem illam, non saltem ad eam spirare conamur. ] Hunc ergo charitatis feruorem & impigram amoris deuotionem sectari debemus, ut Deum ex tota virtute diligamus. Amat ille constantes, amat feruidos, amat naturam imbecillitatem prudenter vincentes, & seipos acuentes, & ad sollicitudinem excitantes. His perfectionem tribuit, & salutem animæ perfectam, & veram puritatem

impertit.

Hier. 48.

Basilus  
oratio. 1.  
de amore  
Dei.Arist. 1.  
cali text.  
1. c. 16.Cicer. 2.  
Tusc.  
Lact. 1. l.  
de opificio  
Dei. c. 12.  
Psalm. 139.

Psalm. 17.

Psalm. 32.

D. Thom.  
opus. 6. 1.  
c. 23.Bern. ser.  
3. Pentecost.

Luc. 19.

impertit. Quis non audiuit. Salus domui huic facta est, eo quod & ipse, non solum genere, sed multo magis imitatione filius sit Abraham? ] Ille re vera, qui præcurres ascendit, & sollicitus, festinusque descendit, & excipit Dominum gaudens. Si igitur salutem animæ quærimus, non quamlibet, sed eam, quæ perfecta salus, & planè perfectio est, præcurramus tepidorum turbam, nunc dormientium, nunc oscitantium, nunc peditentium ambulantium: descendamus festinanter, superbiam & ambitionem & omnem mundi factum animosè calcantes; excipiamus gaudenter Christum, non in domum corporis, sed in domum cordis, & in nobis ipsi habitaculum construentes: refarciamus iniurias & onera iniquitatis relinquamus, ut salus domui nostræ fiat, ut puritas mentis adueniat.

Sed ad particularia descendamus, & hæc quæ generaliter diximus, sigillatim explicemus. Ille Deum ex tota virtute diligit, qui eximia quadam diligentia suæ mentis puritatem retinet, & omnem minimam etiam maculam vehementer timet, omnem defectum leuem fugit, omnem imperfectionem, (quantum in hac vita fieri potest) sollicitè reicit: & qui omnem suam diligentiam ad vitanda peccata leuia, insufficientem cernens, ea quæ contrahit, celeriter (quantum potest) & magna animæ compunctione tergit. Sicut enim virgo, quæ pulchram, & pretiosam vestem induit, summa quadam circumspectione perlustrat, quo loco sedeat, cui innitatur, quid manibus tractet, quis ad eam accedat, ne aut in sede, aut in fulcramento, aut in occupatione, aut in famulo propius accedente, aliquid sit, quod eius vestem fœdet, aut quoquo modo inficiat: Ita anima veste gratiæ, & charitatis induta, debet omnes cogitationes, omnia desideria, omnia verba, & opera sua, diligentissima circumspectione notare, ne quid in eis lateat, quod gratiam fuscet, charitatem tepefaciat, & suam pulchritudinem aliqua macula, aut nœuo contamine. Si quid tamen, aut malum aut imperfectum incidit (& sine dubio multa incident) statim compunctio tergat, sletus munder, humilitas defleat, charitas vtræ. Sine ista sollicitudine non poterit mens mundam se, & illibatam seruare; nam (ut inquit Gregorius.) Mens mutabilitatis suæ pondere, ad aliud semper impellitur, quàm est, nisi in statu suo arctæ custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statum, quem habere potuit, amittit. Vnde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fulminis conatur; cum verò ab intentione ascendendi resolutur. ] Sic ille scribit, optimè, ac verè scribit. Nam natura nostra lubrica, ad malum procliuis, & ex sua ingenita infirmitate in vitium præceps, non poterit se continere, in bono, atque honesto stabilire, nisi se ipsam semper cohibeat, se ipsam à casu diligenter custodiat, & gratiæ Dei cooperas, ne à malitia coinquinetur, se vndique circumspectat. Si vis ergo, o religiose, esse perfectus & veram virtutem consequi, & ad mentis puritatem festinare, prudenti quadam, & sollicita circumspectione, non tamen scrupulosa, aut molesta, te & omnia ad te pertinentia considera. Hoc te doceat amor Dei (qui non cæcus est, sicut amor sæculi, sed omnia videns, vniuersa prospiciens, tamquam magister sapientissimus) te inter laqueos viuere, inter tendiculas, & præcipitia transire, cum hostibus, & inimicis sanctitatis conuersari; ex quo cognosces magna diligentia opus esse, ne cadas, ne decipiaris, ne rerum wandanarum affectibus illigeris. O candens lilium (inquit Bernardus sponfam Christi alloquens) o tener, & delicate flos; increduli,

Greg. 11.  
mor. 6. 26Bernard.  
ser. 48. in  
Cant.

A

& subvertentes sunt tecum. Vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis; in terra sunt, in aère sunt in carne tua sunt, versati in his & minimè laedi, diuina potentia est, non virtutis tuæ; sed confidite, inquit, quia ego vici mundum. ] Si verò hanc necessariam sollicitudinem, diligentiamque contemnis, non tantùm Deum ex virtute non diliges, verùm nec teipsum casu & præcipitio defendes. Incuria enim, & socordia concessum est, ut omnia bona antè congregata valeret, & quæ feruor acquisierat, miserabili crudelitate consumat. Denique esse Dominus mandauit, id est, iustissima ratione permittit, & percutit ista socordia, domum maiorem ruinis; scilicet interiorem, veràmque virtutem, & domum minorem scissionibus, nempe externam disciplinam, quæ dissipata, non solum Angeli, verùm & homines teipsum spernent, quia per disciplinam dissipata: rimulas, interiorem calum, & calamitatem prospicient.

B

Non tamen fatis est amanti, ex tota virtute, si diligenter mala caueat, nisi etiam eadem sollicitudine, atque feruore mandata seruet, consilia ad se spectantia custodiat, regulas, & institutiones amplectatur, & omne bonum non tepidè & perfuntoriè, sed gnauiter & constanter operetur. Imò non est possibile mala vitare, nisi quis bona strenuè sectetur; nam malum quoddam est, ipsam bonum oscitanter exequi, & negligenter in opus producere. In hoc ergo nos veros Dei amatores exhibeamus, ut propter Deum, & eius amorem, quicquid virtutis, quicquid perfectionis est, tamquam rem magni momenti sedulè & diligenter tractemus. Si enim mundani homines sacculum tanta virtute amant, & ipsam vanissimam vanitatem tanto impetu, & conatu exercent, ut pereant; quanta virtute nos, qui vitorum spiritualium nomen obtinemus, Deum deberemus diligere, quanto nisù atque conatu ipsam verissimam veritatem sectari, nò ut pereamus, sed ut in perpetuum saluemur? An sola ista vita est (ut Hieronymi sermonem v(er)sem) quæ certamen non habeat de profectu, & in qua vnusquisque hoc tantùm habeat, permanere quod capit, nec vilo augmenti desiderio ad maiora contèdat? Et cum in omnibus mundi studiis profectu non sciuntur homines, hic tantum cæpisse sufficiat? Feruentissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus: & summam in rebus paruis exhibentes alacritatem ad maiora torpescimus. Considerare pudet, quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum, imò (ut sæcularis auctoris vtræ sententia) ipsa magis ætate inflammatur. Diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido. Celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos diuinam sapientiam, cælestes diuitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus: & spirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuò nos putamus esse satiatos. ] Amplectamur ergo mentis puritatem: Amplectamur iustitiam, non quasi satiati, & virtutis cibo distenti, sed quasi esurientes, & hoc vitæ alimentum prorsus vacui, atque ieiuni. Dominus enim non dixit: Beati qui nauicam habent iustitiæ, sed: Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. ] Beati inquam, non pleni, sed vacui; non saturi, sed esurientes, quia licet pleni sint operis effecta, vacui tamen sunt ampliùs comedendi, & bene viuendi desiderio. Hoc enim proprium est huius spiritualis alimenti, ut susceptus non repleat, ingestus non faciat, sed maiorem sitim excusciet, & vehementiorem famè accendat. Quod vox ipsius iustitiæ & veræ sapientiæ confirmat, dicens: Qui edunt me, adhuc esuriant; & qui bibunt

Iuan. 26.

Amos. 6.

C

cum in omnibus mundi studiis profectu non sciuntur homines, hic tantum cæpisse sufficiat? Feruentissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus: & summam in rebus paruis exhibentes alacritatem ad maiora torpescimus. Considerare pudet, quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum, imò (ut sæcularis auctoris vtræ sententia) ipsa magis ætate inflammatur. Diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido. Celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos diuinam sapientiam, cælestes diuitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus: & spirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuò nos putamus esse satiatos. ] Amplectamur ergo mentis puritatem: Amplectamur iustitiam, non quasi satiati, & virtutis cibo distenti, sed quasi esurientes, & hoc vitæ alimentum prorsus vacui, atque ieiuni. Dominus enim non dixit: Beati qui nauicam habent iustitiæ, sed: Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. ] Beati inquam, non pleni, sed vacui; non saturi, sed esurientes, quia licet pleni sint operis effecta, vacui tamen sunt ampliùs comedendi, & bene viuendi desiderio. Hoc enim proprium est huius spiritualis alimenti, ut susceptus non repleat, ingestus non faciat, sed maiorem sitim excusciet, & vehementiorem famè accendat. Quod vox ipsius iustitiæ & veræ sapientiæ confirmat, dicens: Qui edunt me, adhuc esuriant; & qui bibunt

Hier. 20.  
9. p. 16. ad  
Demetr.

Matt. 5.

me adhuc sitiant,] Esuriamus itaque appetituum nostrorum repressionem; virtutum exercitationem; bonorum operum studium: sitiamus diuinam familiaritatem, & caelestem in tertis conuersationem, & non tamquam repleti, & præ nauſea eructantes; sed tamquam esurientes, & sitientes hunc cibum comedamus, hunc potum bibamus, his bonis nos impleamus, & particula bonæ dici, id est, tempus proficiendi, haud quaquam nos ipsos prætereat. Imitemur illum, qui nostram salutem tanta sollicitudine & diligentia quaesuit; & eius discipuli, atque imitatores effecti eandem salutem (scilicet non suam, sed nostram) eximio quodam conatu non tamen imprudenti, sed circumſpecto, requiramus. Quid enim à nobis querit Christus qui tanta sollicitudine nos quaesuit, nisi vt diligentes simus, & feruidi, & solliciti ambulemus cum eo? In hoc igitur feruore amoris, & bonorum operum, charitas ex tota virtute consistit. Quam qui habent sunt esurientes, & sitientes iustitiae, & Domini assertionem Beati; quod si beati, & perfecti: Quia beatitudo huius vitæ, vt in sequenti tractatu sumus dicturi, non est qualibet imbecilla virtus, sed ipsa sanctitas, atque perfectio. Quare charitas ex tota virtute, à perfectione non distat, quæ nihil aliud esse potest, quam diligens charitas strenuè se Deo iungens gnauiter mala canens, & sollicitè atque perfectè à cibus bonis intendens.

Domine Deus meus, virtus mea, & robur virium mearum, ac firmamentum animæ meæ, qui nos validissimo amore prosequeris, & immensa spiritus tui copia, ac beneficiorum multitudine, nec non occulta quadam ostensione pulchritudinis tuæ, ad te præ omnibus diligendum, & validè ac feruè amadum impellis: fac vt impetus huius diuini spiritus, vela cordis mei perflet, & nauiculam mentis meæ citissimè moueat, quo prospera nauigatione cursum huius vitæ cõsciam, & celeribus dilectionis affectibus ad te portum salutis, locum stabilem, ac securum ex tota virtute amando, & te querèdo perueniat. Tu, ô Deus meus benignè, atque misericors, qui vires, & dona ad te amandum, & diligendum tribuisti, omnem ab eis ignauiam, & torporem amoue, & impetum, conatum, atque feruorem, ad tui amorem, ac obsequium larga manu concede, ne feruus hic tuus, licet omnium minimus à Diaboli mancipiis diligentia vincatur, & à mundanis hominibus strenuitate superetur. Si pedes eorum tanta celeritate ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem, & animas suas perdant, & in barathrum infelicitatis proiciant; cur ego post te non curram Domine, cur non festinabo post odorem vnguentorum tuorum, sponse dulcissime, siquidem cursus hic non in perditionem tendit, non in barathrum gehennæ properat, sed in salutem, in sanctitatem, in felicitatem accelerat? Ab his ergo discam, ô pater amatissime, quomodo te sum amaturus, quo pacto tibi obsequuturus. Vt quemadmodum illi toto mentis conatu, vanitatem amant, mendacium cupiunt, & res nihili habere, & possidere conantur; ita saltem & ego (quod vere parum est, & dignum vt ex eo erubescam) toto virium mearum impetu, te solum diligam, veritatem queram, & veram virtutem omni auro pretiosior habere concupiscam. In hoc meas vires, & neruos intendam, vt leues etiam maculas fugiam, passiones vincam, mandata custodiam, consilia amplectar, & omnia ad meam vocationem, & institutum attinentia perficiam. Sic enim fiet, vt pro modulo meo, te donante, charitatem ex tota virtute habeam, & iter perfectionis & sanctitatis arripiam.

A *Qua ratione perfectio exprimaturs illis verbis: Diliges Dominum Deum tuum ex omni fortitudine tua.*

## CAPVT XXII.

**M**

ULTI quidem sunt charitatis actus, multi dilectionis effectus, multa veri, & perfecti amoris indicia; sed nullum aut maius, aut præstabilius, quam si quis pro dilecto non tantum bona peragat, verum etiam mala & aduersa sustineat. Agere enim bonum bono naturale est, malum verò sustinere præposterum, quare non tam elucet natura boni, si quod sibi congruum est, faciat, quam si malis exagitat, immobile perseueret, & nec tantillum ab ingenta bonitate desciscat. Quamobrem, sicut lucerna, & si parua sit, illuminare certè potest, at nisi magna sit, ventis flantibus resistere non potest: ita amor paruus atque remissus poterit aliquod bonum facere, at nisi magnus sit, & fortis, non poterit pro amato aduersa, & terribilia tolerare. Hinc Dominus maximum amorem erga hominem donorum & beneficiorum communicatione monstrauit, sed multo maiorem & ardentiorum ostendit, ex eo, quod cum ipse impassibilis sit, filium tamen vnigenitum passibilem in carne fecit, & pro hominibus morti ac passioni subiecit. Vnde Ioannes, vt hunc amorem exaggeraret non dixit: Sic Deus dilexit mundum, id est, homines mundi, vt pro eis calos crearet, terram conderet, aut tot tanta bona produceret; sed vt pro eis filium suum vnigenitum daret,] & pro hominibus doloribus ac tormentis exponeret. Meritò sanè: nam bona nobis dare, congruum Deo est; mala verò pro nobis pati, videretur indignum; quare magnus amor est Dei, qui pro nobis magna fecit, sed sine vlla comparatione maior, & ardentior apparet, quia pro iniquis & peccatoribus filium hominem factum ad mala perferenda demisit. Hinc & ipse filius Dei, qui tot, ac tam mirabilibus signis, eximium erga æternum Patrem amorem declarauit, & tanta vitæ sanctimonia se illi filiam obedientem exhibuit, fini suæ vitæ sanctissimæ tormenta passionum, & mortis sustinentiam reseruaui, & tamquam præcipuum infinitæ suæ dilectionis indicium extremo tempore patefecit. Et alius suis operibus prætermisissis, & quasi obliuioni traditis, hoc solum obtulit mundo tamquam efficacissimum opus ad suam cognoscendam charitatem, dicens; Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc. ] Mundus, ô Domine, in hoc non obsecrè, sed clarè, & manifestè tuum erga Patrem, & erga nos infinitum amorem agnouit, quod mandatum patendi sine vlla contradictione accepisti, quod secundum illud mandatum mortem acceptam sustinuisti, quod è loco vbi sedebas, vt hostibus occurreres, & te ipsum morti, & tormentis offerres, libentissimè surrexisti. Hoc etiam fuisse maximum suæ dilectionis indicium, Apostolos ad mutuū amorem exhortans, iterum manifestauit dicens; Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. ] Nam & si amorem erga homines, erga inimicos scilicet, quos passione & morte fecit amicos, abundè doctrina, exemplo, exhibitis sanitatibus, & aliis modis innumeris declarauit; sed multo abundantius, atque perfectius vitæ depositione, & perpeſsione mortis expressit, quia magnū est magna amicis dare, sed multo maius vitam charissimam, & omnium rerum pretiosissimam pro ami-

Ioann. 13.

Ioann. 14.

Ioann. 15.

Ioann. 1. Chryl. 10. 1. 1. 10. 2.

cis profundere. Re vera in passione ostensus est filius Dei, & tunc (vt exponit Chrysostomus) vidimus gloria eius, gloria quasi vniuenti a Patre: quonia tanta, & ta acerba, & indigna pati, no feru licet fidelis, sed filij naturalis est, qui honore Patris ab hominibus iniuste ablatum, suis iniuriis, & opprobriis resarciebat, & pretio raptorum maloru reparabat. Ibi etia ostensus est Pater noster, qui sicut gallina pro tuendis filiis suis, vitam suam periculo mortis exposuit; imo sicut pellicanus fuso super filios proprio sanguine morti eripuit, & vite aternitatis acquisiuit. Ibi denique ostensus est principu omnimoda perfectionis magister, qui docuit nos amare in tormentis, diligere in medijs tribulationibus, & pro eharitatis possessione inimicis ignoscere, & vsque ad effusionem sanguinis decertare. Proposito enim sibi gaudiu a turpis, dum cum voluerunt facere regem (vt Anselmus interpretatus est) respuit huiusmodi gaudium & vltro oblatum honorem, contempsit, sustinuit autem crucem confusione contempta. ] Quare hoc? Nisi quia non susceprione gaudiorum & honorum amor declaratur, sed admissione tormentorum, & mortis ostenditur: Ab hoc magistro, qui semper vera docuit, & qui numquam errauit omnes sancti & perfecti viri amate didicerunt, ab eo dicti sunt, non in consolationibus tantum, sed in tribulationibus, & in tristitijs principu excellentiam amoris demonstrare. Nam in his omnibus superamus (inquiunt) propter eum qui dilexit nos. ] Et rursus: No solum gloriamur in spe gloria filiorum Dei; sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, dum nos patientes, & mites facit: patientia autem probationem, qua Deus cognoscit, id est, cognoscere facit, quod Deum timeamus, & perfecti sumus, probatio vero spem futura gloria nobis tribuit, qua sane non confundit, ] neque est inanis & vana, quoniam iam habemus arrham futura felicitatis nimirum veram charitatem, qua diffusa est in cordibus nostris. Vnde scitis, o viri iusti, vos charitatem habere, vnde vos verum Dei amorem possidere cognoscitis? Certu id coiclamur, ex eo quod tribulamur, & ex eo quod pro Deo pressuras & tribulationes patimur. Si enim flamma indicat ignem, & splendor lucernam detegit, tribulatio pro Deo patienter sustentata, ignem charitatis absconditum, & latentem ostendit. Aduersis enim probatur amor (inquit Chrysostomus) affectio pensatur periculis; poenis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur. ] Iure itaque Bernard. supremum amoris gradu, que caelesti patrie reseruat, cum videlicet homo se pure diligit propter Deum, & seipsum quodammodo perdit, tamquam non sit, & omnino semetipsum non sentit, & a semetipso exinanitur, & annullatur, solis martyribus in hac vita auDET certa ratione concedere. Putamusne (inquit) hanc gratiam, vel ex parte sanctos martyres assequutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis potius amoris illas animas introrsus rapuerat, quae ita sua corpora feris exponere, & tormeta co remnere valuerunt. ] Quia videlicet ita homine propter amorem Dei seipsum deserere, vt omnia poene mala sustineat, vitam proterat, & semetipsum conculcet, & perdat, nihil aliud est, quam supra humana conscendere, & vite caelesti appropinquare.

Hunc ergo amorem perfectissimum, Deus extrema huius sententiae parte a viris iustis, & perfectis exposcit, cum ait: Diliges Dominum Deum tuum ex omni fortitudine tua. ] Hoc quippe distat inter virtutem & fortitudinem ( vt placet Thome Aquinatis) quod virtus est, summus conatus virium nostrarum ad agendum; fortitudo vero summus co-

natus ad sustinendum. Cui consentit Augustinus: Amor (inquit) quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. ] Et infra: Nihil est tam durum, atque ferreum; quod non amoris igne vincatur. Quod cum se anima rapit in Deum super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor cactus innititur. ] Et alio loco dicit: Fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facile perferentem. ] Quare diligere ex omni fortitudine est, ita Deum amare, vt quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus, & minis, siue a daemone, siue ab hominibus intetatis succumbat. Sicut accidit Dauidi vxore alienam contra ius & fas accipienti: Petro neganti, discipulis fugientibus, & accidit multis alijs, qui ad tempus fide viua credunt, & in tempore tentationis recedunt. ] Huius amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur, & firmitatem edixit. Quis (ait) nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? ] Et statim; certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. ] Quis, inquit, va iste electionis, mihi charitate surripit? Quis me a Deo diueller, que no tantum suauiter, sed & fortiter diligo? Tribulatio? Certu non, quoniam in malis poena pro Christo sustentatis, & in tribulationibus glorior. An angustia? Non, quia licet foris insent pugna, intus timores, in omnibus supero propter eum qui dilexit me, An fames? Non, quia meus cibus; cibus est Christi, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: & nuncium euangelij constituit, quem cibum cum semper intra me habeam, & in mea sit potestate, non postum fame perire. An nuditas? Non, quia mea vestis est gratia, quam Deus ita suis auxilijs firmavit, vt nec temporis decursu atteratur, nec deserti huius spinis, & tribulis conuellatur, nec aliquo graui malo veteratur. An periculum? Non, sum etenim miles veteranus, qui aduersus aereas potestates, aduersus principes, & potestates tenebraru haru millies bella suscepi, pugnaui, & vici, quare victoris affluens no possum hostium occursum timere, neq; in periculis trepidare. An persecutio? Non, nam & omnia me persequantur, caelum inclemetis suis, terra venenatis animalibus, mare aquarum vorticibus, homines extranei, & conciuies, qui me saepius voluerunt occidere, lapidibus obruere, tormentis trucidare, & ecce vivo, & in dies spiritu vegetior effectus, Christo intimius amore coniungor. An gladius? Non profecto, quoniam ille caput refecuit, vitam mortalem abstulit, animam a corpore separauit, sed Dei charitatem perfecit, non ademit, o fortis charitas, o robustus & insuperabilis amor, qui nouit bona agere, nouit & mala sustinere, & tot imminetibus malis non minui, sed perfici, non separari, sed Deo praeabilius copulari. Reliqua non nos obscuremus, sed sancti patris Augustini verbis exponamus. Nemo (inquit) nos inde separat minando mortem. Id ipsum enim, quod diligimus Deu, mori non potest, nisi dum non diligit Deu, cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quam ei quicquam in diligendo, atque sequendo praepone. Nemo inde separat pollicendo vitam, nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est Angelus, cum inharemus Deo, nostra mente potentior. No se-

Hebr. 2. Anselm.

Rom. 8.

Rom. 5.

Chry. ser. 6. de pass. Dom. 10. 3.

Bern. de diligendo Deo.

D. Thom. opp. 6. de dilect. Dei. 2.

Aug. li. 1. de morib. Eccl. c. 22.

Aug. lib. de morib. Manic. c. 15. tom. 1.

2. Reg. 11. Mat. 26.

Luce 8.

Rom. 8.

Aug. li. 1. de morib. Eccl. c. 11. tom. 1.

parat



parat virtus: nam si virtus hic illa nominata est, quae aliquā potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mēs inhaerens Deo. Sin virtus illa dicta est, quae ipsius animi nostri rectissima affectio est: Si in alio est, fauet ut coniungamur Deo; si in nobis est, ipsa cōiungit. Non separant instantes molestiae; hoc enim leniores eas sentimus, quod ei vnde nos separare moliantur, arctius inhaeremus. Non separat promissio futurorum; nā & quicquid boni futurū est, certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectō bene sibi inhaerentibus praesens est. Non separat altitudo, neq; profundum: etenim si hęc verba scientiæ fortē altitudinē, vel profunditatem significant, nō ero curiosus ne sciungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo separas; vt quasi depellat errorē, à quo nemo profusus, nisi separatus, erraret. Si verō altitudine & profundo superna & inferna huius mundi significātur, quid mihi cælum polliceatur, vt à cœli fabricatore seingat? Aut quid terreat infernus, vt Deum deserat, quem si numquam deseruissēm, inferna nescirem: Postremō, quis me locus ab eius charitate diueller, qui non vbiq; totus esset, si vllō contineretur loco? Hic quidem est amor ex tota fortitudine, quē Paulus tam magnificis & admirandis verbis exposuit, quē nullæ aduersitates vincūt, nullæ tribulationes deiiciunt, nullæ calamitates proferunt. Aquae enim multæ nō potuerunt extinguere charitatē, nec flumina obruēt illā. ] Aquæ multæ vt (meditatur Gregorius) moderatæ tribulationes sunt; flumina verō maximas tribulationes significant. Vel (vt placuit Ruperto) aquæ tribulationes à popularibus, & flumina calamitates à principibus illatas siue profectas designant: ] Sed neque maximæ neque minimæ, neque si populus ardeat, aut si principes aduersus charitatem feruore, & indignatione ferueant, eam extinguunt, aut obruunt, quia ipsa cū ignis sit, nouit aquas tribulationum accendere, & in sui augmentum conuertere, & cū altior cœlo sit, aquarum inundationes superare.

Cant. 8.

Greg. in Cant. c. 8. Ruper. in Cant. l. 7.

Philos. 3.

Cant. 8.

Psal. 25.

Richard. ibid.

Iam igitur dicamus illū ad supremum amoris gradum peruenisse, & Deum ex tota fortitudine diligere, qui ex amore & vera charitate Dei, omnia pœnæ mala sibi inflicta patienter tolerat & paratus est, ea quæ nō inferuntur, quando occurrerint æquanimiter & gratanter sustinere: Ille sanè diligit Deū ex tota fortitudine sua qui inopiam & mediocritatē pro Deo sustinet, seipsum (quoad potest) temporalibus diuitiis spoliatur, & omnia arbitrat ut sterora, vt Christum lucrificat. ] Erga ipsum enim charitas est illa pretiosa margarita, in agro vitæ spiritalis abscondita, cuius amore illectus sapiēs negotior vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Nec magno putat sibi constituisse, quoniam si dederit homo omnem substantiā domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Ille ex tota fortitudine diligit, qui pro Deo carnis illecebras, & sæculi voluptates aspernatur, & vitam asperam, ac laboriosam aggreditur. Qui castigat eū Paulo corpus suum, & in seruitutē redigit, ne carnis nimia cura, aut corporis insolentia studio amoris purissimi contradicat. Qui non sedit cum consilio vanitatis, vt veritatis amorem non respuat. Consilium autem vanitatis est (vt ait Richardus Victorinus) curam corporis nimiam habere, carnem in desideriis carnis fouere, & ad vel somno nimis indulgere, ornatum in vestitu querere; totum hoc vanitas est, quia totum hoc vanum est. ] Quod si hoc vanitas est, veritas quidem erit, carnem asilgere, voluptates ac delicias mundi contemnere, & solum Deum veras & solidas delicias putare. Ille ex tota fortitudine diligit, qui honores, dignitates, & bonam opinionem

A contemnit: & præ amore charitatis, & desiderio virtutis infamiam, sinistram opinionem, & infamum locum libens, & voluntarius admittit. Huius vox est. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicet, aut ab humano die. ] Et rursus illud: Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes & ecce viuimus. ] Hic summam honorem & amplissimam dignitatē reputat, adhaerere Deo, amare Deum, famulari Deo, & in abdito orationis & contemplationis conclauī Deum alloqui, & cum, licet per speculū & in ænigmate speciosissimo oculo mentis aspiciere. Quam dignitatē adeptus, aut ad eam obtinendam aspirans, dignitates, quas homines admirantur, & tantis laboribus, imō & tantis peccatis sæpè ambiunt, tanquam vilissimas & abiectissimas derelinquit. Ille ex tota fortitudine diligit, qui vt amoris vacet affectibus, nimias amicitias & ineptas familiaritates fugit, & tanquam passer solitarius in recto, hoc est, in secreto suæ cellæ viuit, & solum vnum amicum, & hunc valde intimum & familiarē, nempe Christum habere contendit. Primus namque parens Adam, ne cōrristaret Eum comparem suam, à Dei amore, & obedientia discessit; & sic multi religiosi (proh dolor) ineptissimis amicitias decepti, pro vanissimo amore eorum, quos amant, regulā calcant, patrum instituta proterunt, & (quod iniquius est) Dei præcepta transgrediuntur, & à debita obedientia & fidelitate desciscunt. Ille ex tota fortitudine diligit, qui dolores corporis, agritudines, & suæ carnis molestias patienter, & alacriter tolerat, non tantum si crucient, & affligant, sed etiam si (vt sibi videtur) animę profectū & pios pro Christo labores susceptos impediunt. Ita aliquādo sentit homo inferior, sed homo, superior melius sapiēs, & magis illuminatus, illud animæ profectui indicat vtilius, quod Deus ardentissimus amator noster, & nostram perfectionem in infinitū plusquam nos sitiens, sapienter & amāter immittit. Quare sicut vrsus mel diligēs (vt egregiè dixit Thomas Aquinas) nec verberibus, si imminet, nec spinis, si interponatur, ab alueario potest auelli; ita ardēs amator Dei, nec agritudinis verberē, nec spinis dolorū, & molestiarū debet à dulcedine diuine voluntatis, & à vera resignatione separari. ] Et sic ostēdit exēplo (vt inquit Ambrosius) quia operationes virtutis, non impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neque splendore generis, aut propinquoium subsidiis, aut opibus, sed bono cōmendantur affectu. ] Sic ille & verē. Quoniam licet agritudo quibusdam virtutis actionibus obster, quę per corpus exercētur, amorī tamē, & charitati, & resignationi nō obstant, quæ pro omni virtute est, & cunctarum virtutū mirabili modo supplet actiones. Tādē ille diligit ex omni fortitudine, qui paratus est mortē violentā & immaturam pro Christo, & pro amore innocentie subire, & mortē naturalē instātem, quo quomodo adueniat tolerare. Nam licet animus trepidet, & corpus vitæ discessionem exhorreat, voluntas tamen diuinæ voluntati subiecta, & desiderio eternitatis animata, æquanimiter hominis cōditioni subiscitur, & viam omni carni assignatam ingreditur. Christus Saluator noster huius dilectionis ex tota fortitudine; iamā iturus ad mortem dedit exēplum: qui tormentorum secundum portionem inferiorem acerbitatē timeas, & cōtumeliarū indignitatē metuens, & terribilissimam mortis presentiam molestē ferēs, sanguine in horto sudauit, & Patrē pro sua liberatione exorauit, dicēs: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. ] Hęc quidem oratio suscepta fragilis naturæ fuit, sed quod statim

1. Cor. 4.

2. Cor. 6.

Genes. 3.

D. Thom. opusc. de amore Dei c. 24.

Amb. lib. 6. de Iacob. c. 8.

Marc. 14.

sequitur, fortis & robusta charitatis: sed non quod ego volo, sed quod tu.] Ab hoc fortis amoris preceptore, martyres acceperunt, quomodo deberent tormenta perferre, & amabilem hanc vitam pro alia meliori, & amabiliori deserere. Et ab eodem charitatis magistro perfecti didicerunt, timores nimios mortis cohibere, tristissimam mortis faciem hilari, aut saltem animosa facie respicere, & eius inmedicabile vulnus, poterit dilectione superare. Merito proinde de ea in canticis dictum est: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus amulatio. Fortis ut mors, quia mortem pro Deo alacriter suscipiendo, ipsam mortem vincit, & morientes a morte naturali in vitam immortalem, & semper duraturam adducit. Fortis ut mors (inquit Augustinus) nam quomodo mors violentissima est ad auferendum, sic charitas violentissima est ad saluandum; imo & fortior morte, quia & veram mortem scilicet graue peccatum, in nobis occidit, & ipsi peccati morti verba vite auctoris vsurpans, minatur, dum dicit: O mors, ero mors tua. Sed si fortior morte charitas, quare solus dicitur fortis ut mors? Certè (respondet Bernardus) quia ipsa mors est, & seipsa fortior esse non potest. Bona mors, non vite, sed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam, etsi adimit, non perimit. Adimit quidè sed ad tempus, restituedam in tempore, duraturam sine tempore. Illa igitur charitas, que ita fortis est, ut omnia bona potenter sequeatur, & omnia mala, & aduersa pro Deo summe dilecto sustineat, non potest aliud esse quam ipsa vite nostre perfectio. Quid namque deesse poterit talem charitatem habenti? Sanè nihil, cum ita sit in omnibus virtutibus bonis radicans, atque fundatus, ut nec turbinibus tentationum perturbetur, nec imminentibus aduersitarum procellis frangatur, nec ipsa morte omnium terribilissima a bono & honesto separetur.

Domine Deus meus, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus, qui ut te fortitudinis auctore ostendas, soles imbecillissimis &

Cant. 8.

Aug. ad  
Psal. 47.

Osee 13

Ber. epist.  
42.

A fragilissimis creaturis tuis (quales sumus omnes homines) robur, & firmitatem ad magna sustinenda tribuere, & incomparabilem fortitudinem ad importabilia aduersitatum onera ferenda donare: Conuerte oculos benignitatis tue ad hunc peccatorem, corpore & mente omnium fragilissimum, & conforta me, ut te summum bonum meum, non solum dulciter & prudenter amem, sed etiam fortiter diligam, & pro amore tuo humeros laboribus, ac pressuris subiiciam. Filius tuus, & Deus meus, o Pater amantissime, pro me terribilia sustinuit & mortem acerbissimam tolerauit: hic igitur mihi concedatur honor, hæc mihi degur consolatio, ut pro eo aliquid aduersi sustineam, ipsam flagellatus sequar, & post duces meum sanguine rubricatus, & laboribus laureatus incedam. Da mihi Domine virtutum dator largissime, ut paupertate amem, & omnes seculi diuitias contempnam, quia tu solus mea abundantia es. Da ut vitæ asperitatem diligam, & voluptates, ac delicia auerter; quia tu mea purissima delectatio es. Da ut infimum semper locum conseruet, & obedire magis, quam imperare cupiam, & omnes mundi honores detrectet, quia tu meus honor verissimus, & dignitas es. Da (ut quod ad me attinet) solus esse velim, & nullius rei amorem ineptum admittam; a nullo nimis amari, aut zelari appetam, quoniam tu mihi sufficis, qui verissimus amicus, & fidelissimus Dominus, & Pater es. Da ut flagella tua, que iam diu in corpore meo porto, pro te libenter amplectar, & fatidicæ carnis sanitate asperner; quia tu mea incundissima salus es. Et concede tandem, ut paratus sim pro te mori, & vitam hanc mortalem, quam mihi tribuisti tibi, cum iusseris, restituere; quia tu mea immortalis, & æterna vita es. Creaturæ Domine Deus meus me deserant, me derelinquant, a corde meo, & ab affectibus meis fugiant, ut tu solus me habeas, me possideas, ut me in amore, & charitate perfecta dulcissimo filio tuo similem facias (qui vsque ad mortem dilexit me, & verum ac fortem tui amatorem constituas. Amen.

B

C



## PARS TERTIA.

De Altera perfectionis parte, scilicet de charitate proximi.

**A** CHARITATE erga Deum ad charitatem erga proximos descendamus, que nos faciat vndeque perfectos. In cuius tractatione eadem erit procedendi ratio, ut quid ipsa in se sit, quos effectus pariat, & quomodo sit in literis diuinis precepta, inuestigemus. Post hæc verò, nonnulla documenta subnotabimus, que interim dum reliquas partes huius operis cudimus, ad assequendam vtramque Dei & proximi dilectionem diuina adiuuante gratia proficiant.

Perfectionis substantiam, etiam in fratrum charitate consistere: Et primò quid sit fraterna charitas.

### CAPVT XXIII.

**Q**UOD VBI de perfectione egimus, quæ ratione nos iungit Deo, ultimo fini nostro; nunc de eadem, quatenus nos iungit vtriusque Ecclesie membris tam triumphantis, quam militantis ac omnibus hominibus, differamus. Licet enim vna eademque perfectio, siue vna eademque virtus perfecta charitatis sit, quæ complectimur Deum propter seipsum, & proximos propter Deum; quia vna, eademque bonitas

A diuina, licet non eodem modo participata, in Deo, in proximis; cõspicitur; tamen duo actus ab hac virtute profecti; alter quo Deus, alter quo proximum diligimus, sunt; si non natura saltem modo, & qualitate distincti. Quare separatim exponendi sunt, & maioris distinctionis gratia, ut maioribus, & minoribus cõsulamus, seorsum sigillatimque tractandi. Ne autem in ambiguo labore oratio, principio quoddam fraternalis charitatis nomine intelligamus, aperiendum est; inde autem facillè eliciemus, quæ fraterna charitas initium, aut profectus perfectionis sit, & quæ ad ipsam substantiam perfectionis pertineat. Quam cum pro ratione instituti nostri solum inquiramus, non sunt ab hoc loco vniuersa petenda, quæ ad huius